APOLOGIA
Pro
CHRISTIANO BATAVO,
NON CALVINISTA,
Contra
MARTINI BECANI IESVITÆ,
ANTICHRISTIANI SYLVADVCENSIS
QVÆSTIONES MISCELLANEAS;
De Fide Hæreticis ſeruanda,

In qua

Axiomatis Pontificii, quo fidem hæreticis ſeruandam eſſe docent, fraus, vt & cætera peſtiferæ ſectæ damnata dogmata, quibus publica ſimul ac priuata in Regnis & Rebusp. euerſum eunt, ex ipſorum Ieſuitarum ſcriptis, & indubitatæ fidei monumentis, tam Pontificiorum quam Euangelicorum euidentiſſimè demonſtrantur.

D. Iohan. 18. Apocalypſeos:

Reddite ei ſicut & ipſa fecit vobis, & duplicate ei duplum, ſecundum opera eius.

4/2.49

LONDINI
Anno vltimæ patientiæ Diuinæ.
CIƆ IƆ C X.



310;01

ÆQVO LECTORI
Chriſtianam Salutem.

SI rationi perſpicuæ veritatis, Benigne lector, infirmus humanæ conſuetudinis ſenſus non obſiſteret: ſed doctrinæ ſalubri languorem ſuum, tanquam medicinæ ſubderet, donec diuino adiutorio, fide pietatis impetrante, ſanaretur: non multo ſermone opus eſſet, ad conuincendum quemlibet vanæ opinationis errorem, his qui recte ſentiunt, & ſenſa verbis ſufficientibus explicant. Nunc verò quoniam ille eſt maior & tetrior inſipientium morbus animorum, quo irrationabiles motus ſuos, etiam poſt rationem plenè redditam (quanta hominis ab homine debetur) vel nimiâ cæcitate (quâ nec aperta cernuntur) vel obſtinatiſſimâ peruicaciâ (quâ & ea quæ cernuntur, non feruntur) tanquam ipſam rationem veritatemque defendunt: fit neceſſitas copioſius frequentiusque dicendi plerumque res eaſdem, ſicut claras, velut eas non ſpectantibus intuendas, ſed quodammodo tangendas palpantibus & conniuentibus offeramus. Et tamen, quis diſceptandi finis erit, & loquendi modus, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus ſemper, exiſtimemus? Nam qui vel non poſſunt intelligere, quod dicitur, vel tam duri ſunt aduerſitate mentis, vt etiamſi

intellexerint, non obediant; reſpondent, & loquuntur, *vt ſcriptum eſt*, iniquitatem, atque infatigabiliter vani ſunt. *Quorum dicta contraria, ſi toties velimus refellere, quoties obnixà fronte ſtatuerunt non curare, quid dicant, dum quocunque modo aliorum diſputationibus contradicant, quàm ſit infinitum & ærumnoſum & infructuoſum vides. Quamobrem nec te ipſum, Lector, nec alios, quibus hic labor noſter in Chriſti charitate vtiliter & liberaliter ſeruit, tales meorum ſcriptorum velim iudices, qui reſponſionem ſemper deſiderent, cum his, quæ leguntur, audierint aliquid contradici: ne fiant ſimiles earum* mulierculalarum, *quas commemorat Apoſtolus*, ſemper diſcentes, & ad veritatis ſcientiam nunquam peruenientes.

Neceſſitates autem, quæ me mouerunt Lector, vt iuſtam Chriſtiani Bataui cauſam aduerſus Eſauitas (noſtri temporis Phariſæos) defendēdam ſuſciperem, duæ ſunt præcipuæ. Prior, quod Martinus Becanus, in Præfatione Quæſtionum ſuarum Miſcellanearũ iactanter & falsò glorietur, ſe tàm apertè oſtendiſſe, non minus Hæreticis, quam Catholicis, in rebus ALIAS LICITIS ET HONESTIS, fidem integram & illibatam ſeruandam eſſe, vt etiam Euangelici, qui longe aliter Pontificios ſentire, arbitrati eſſent, plerique mirati, & ſe hactenus falſos perſuaſos eſſe, ingenuè confeſſi ſint.

Altera, quod idem, vt iniuſtiſſimè, ita calumnioſiſſi-

lumnioſiſſimè, Batauo, præter alias intolerandas iniurias, & hanc affingat, quaſi ventris ſui ſuſtendandi causâ, pacem omnibus modis turbare vellet, ne quæſtum, ceſſante bello, mox amitteret.

Ad prius quod attinet, ſuismetipſorum telis Ieſuitas in hac Apologia, ſolidius longè quàm antè, imò irrefutabiliter confectos eſſe, res ipſa teſtabitur. Alterum verò ex prioris calumniæ refutatione vltrò concidit: nimirum, Batauum bellum ventris cauſa expetere; *qui pace fida etiam iniqua bellum libentiſſimè ſemper commutare ſuadebit. Pacē enim veram, quanto ſtudio non iſte tantum, ſed Illuſtres Prouinciarum Vnitarum Moderatores, ab initio rebellionis Hiſpanicæ proſecuti ſint: toties tentatæ Pacis actiones, ſcriptaque Batau̇i euidentiſſimè demonſtrant. Cum enim Batau̇i Chriſtiani ſint, cur non pacem & veritatem, ſecundum Chriſti mandata, diligant? Verùm cum Ieſuitæ nullam hactenus Pacem cum Euangelicis talem quaſiuerint, ſed vel inſidioſam, vel qua apertè impietas, gula & luxus Antichriſti & ſatellitum ipſius promouerentur, cumque omnia potius ſusque deque verti hactenus, quàm vel minimum in culina ſua detrimentum pati voluerint: quis non iure dicat, eos cæcâ obedientiâ & cupiditate actos, ventris, qui ipſis Deus eſt, causâ, omnia agere, & non paces tantùm impias conſectari, verùm etiam cruentiſſima atque iniuſtiſſima bella mouere, ne Purgatorium ſuum, ad quæſtum ab auaris iſtis ventribus ex*

Paganorum ſuperſtitione, ad ſuammet ipſorum Idololatriam augẽdam, & perfectiſſimum Chriſti meritum minuendum, traductum euertatur? ne Annata, Indulgentia, Pallia, & id genus alia Mammonis iniquiſſima & impiiſſima lucra, ad cuticulam profuſius curandam, ipſis tollantur? Hi ne, Chriſtianos Batauos bellum, ventris cauſa, Paci veræ anteferre, audebunt occlamare, quos primogenituram pro offa vendidiſſe, quicunque falsa ipſorum perſuaſione excæcatus non eſt, facilè videbit? quorum impia rapacitas, atque intolerandus faſtus, & non nominanda luxuria, ad cœlum iam pridem aſcenderunt? Sed hæc, Benigne Lector, Eſauitarum improbitas, Hyprocriſis atque adeo impudentia eſt, vt falſa, pro probis, ſpecioſa, pro veris, apertiſſima mendacia, pro certiſſima veritate, incautioribus obtrudere nec vereantur, nec erubeſcant, nullumque odio maiore proſequantur, quam qui ipſorum falſa, ſpecioſa, & mendacia populo patefaciunt. Sic quoque, ſi quis rebus omnibus, ſine partium ſtudio, perpenſis, Becani Antichriſtiani ſcripta aſpiciat, inueniet, etiam in ipſa libri dedicatoria, quòd, falſa & ſpecioſa pro veris obtrudendo, ſe veræ Pacis amantem potius oſtentare conetur, quàm oſtendere ſe poſſe credat. Cur enim ille tanto molimine docere tentat, fidem Hæreticis ſeruandam eſſe, niſi vt oſtendat à Pontificiis non ſtare, quò minus cum Euangelicis pax aliqua firma & certa ſtabiliatur, bellumque & innocui ſanguinis profuſio apud ipſos exoſa ſint: cum interea ipſe,

cum omnibus alìis, Euangelii, quod Orthodoxi docent, profeſſionem, non ſolum rem non licitam, & non honeſtam, ſed illicitam, impiam, & non tolerandam ſtatuat, atque adeò nec pactis promitti, & ſi promiſſa fuerit, tanquam illicitam, inhoneſtam & impiam ſeruandam non eſſe? Vnde etiam indeſinenter inculcant, Pacem cum impiis nullam eſſe poſſe: *Et Euangelicos, vt* Hæreticos, *ex præiudiciis ſuis, & ſecundū Conciliū Tridentini traditiones,* impiorum peſſimos, *atque adeò ipſis* Infidelibus & Turcis peiores *eſſe: bonum dicentes malum: pium, impium: licitum, illicitum: honeſtum, inhoneſtum. Aut ergo oportet, vt Ieſuitæ falsò Euāgelicos impietatis damnēt, aut ſi verè id ſit, hoc ipſorum iudicio,* pax nulla, *cum ipſis, velut* impiis, *eſſe poteſt: cum Bellarminus in Præfatione operum ſuorum ad Sixtum Quintum, loquens de Euangelicis, referat,* neminem eſſe tam impium, quem Hæreticus impietate non vincat. *Illosne veræ Paci impedimento eſſe, dicere quis iure poteſt, qui, cum ſe verè Euangelicos eſſe, ex veris rerum principiis docere, coram non iniquis iudicibus, parati ſint, citra legitimam cauſæ cognitionem, vt impii iniuriâ damnantur? An illos, qui hos iniuſtè damnantes, non ſolùm efficiunt, vt cum ipſis nulla pax iniri poſſit ſed etiam eoſdem vt agnos ad occiſionem deſtinatos, citra iudicium, mactari iubēt? Ventriſne curandi, benigne Lector, an vitæ ſuæ tuendæ cauſa Euangelicos facere diceres, ſi Bellum præferrēt Paci, quâ vniuerſi, tanquam agni,*

ad occiſionem deſtinarentur? Saluos conductus enim, & publicas conuentiones, non aliter Euangelicis profuturas eſſe, Ieſuitæ docent, quàm ſaluâ ſemper iuſtitiâ & iuris executione; hoc eſt, nec ſaluos conductus, nec publicas Imperatorum, Regum aut Principum conuentiones obſtare poſſe aut debere, quò minus ſecundum iuſtitiam Ieſuitarum Phariſaicam & ſanguinariam, Euangelici (qui iam pridem, ſi conſtanter in veritatis profeſſione perſeuerent, neque ſe ab ea vllo terrore diuelli patiantur, vt Hæretici, ad occiſionem deſtinati ſunt) exterminentur: quaſi non debeat ſuperioris Eccleſiaſticæ poteſtatis exercitium, per poteſtatem Regum & Principum, velut inferiorum, impediri; Quid aio impediri? Ipſimet Imperatores, Reges & Principes, non obſtantibus ſuis pactis publicis (*ita hoc Phariſaicum hominum genus,* immite & arrogās *eſt*) *ſanguinariæ ipſorum iuſtitiæ manus auxiliares præbere coguntur, niſi ipſi à Ieſuitis & Imperio & vita ſimul exui malint. Annon noſtrâ memoria Euangelicos, falſa fidei ipſis ſeruandæ opinione, taliq; pacis dulcedine circumuentos, Regiarum item nuptiarum fide & ſolennibus illectos, & feſtiuitati publicæ, vel negotiis ſuis intentos, pluribus diebus per vniuerſum Galliæ Regnum innumerabili copia, nulloque vel conditionis, vel ſexus, vel ætatis diſcrimine* (*quia* pacem cum impiis, *id eſt, Euangelicis,* nullam eſſe *dicebant*) *occidione occiſos fuiſſe vidimus? Interea faciem tam miſerabilem rerum, Lector, pacem appellant iſti Cainitæ, cum*

Apocal. 17. ℣. 17.

nimirum

nimirum Euangelicos ſubitò, vbicunque fuerant inuenti, in agro, in via, in oppido, in domo, in vico, in foro, in Regia, in lecto, in conuiuio, inopinatò atque impiè trucidarunt; Calamitoſiſſimam illam faciem, inquam, quâ non ſolum gemitus morientium, ſed & lachrymæ ſpectantium, atque adeo ipſorum etiam ferientium ad cœlum vſque efferebantur, immites Ieſuitæ Pacem, vt vides, appellant. Feram illam neceſſitatem, inquam, qua non ſolum nefarias illas ciuium, amicorum, agnatorum, liberorum & parentum cædes videre, verùm etiam domi perpetrare cogebantur: quaque mox à blanda humanitatis comitate, repentè mutatis vultibus, ad hoſtile negotium in pace peragendum, mutuis omninò vulneribus & cædibus irruebatur, cumque percuſſus in corpore, & percuſſor in animo feriebatur: Illiuſmodi, inquam, perfidiam, huius ſeculi Phariſæi pacis obſeruantiam, iurisque executionem vocitant; quaſi illa non ſolum pax Romana non rumpatur, ſed peſtiferis illis hominibus extinctis, ea inter Romano-Catholicos, ſecundum arcanam Cainitarum intentionem, magis, magisque obfirmetur & ſtabiliatur. Vnde etiam pro felici huiuſmodi lanienarum ſucceſſu, ſolennes laudationes, gratiarum actiones, & lætitiæ publicæ, ab ipſis Parlamentis, & ab ipſis Pontificibus inſtitutæ fuêre: tãtum abeſt, vt de Fide Hæreticis malè rupta, pœnitentia acta fuerit. Similes eſſe Paces alias, quas Depaſtor ille Catholicus per ſuos Legatos, Euangelicis per vniuerſam Europã procurare exinde ſtuduit, teſtantur exempla va-

riarum & horribilium proditionum in vrbem Geneuenſem per Sabaudiæ Ducis Satellites iteratarum, variaque atque horrendæ in ipſum Magnæ Britanniæ Regem atque vniuerſum Regnum machinatione, quæ in ipſo Regni aditu, interque pacis publicæ conuentiones, cum fidem & iuſiurandum ſibi inuicem, velut antiquâ amicitiâ & ſocietate deuincti Principes præſtarent, ſumma cum impietate in Deum, & crudelitate in Sereniſſimum Iacobum Stoartum (quem Ieſuitæ non Regem ſed Hæreticum & Tyrannũ eſſe ſcribunt) conſpectæ fuerunt. Non enim Ieſuitæ Pacem Romanam Euangelicis tanto molimine obtrudunt, tanquam eâ communem vtrorumque felicitatem (qui verus eſt pacis publicæ finis) minus autem ipſorum Euangelicorum tranquillitatem promouere velint, ſed vt ventres ſuos ſecurius curare, ſuosque tantum coniuratos à metu iuſtæ vindictæ ſubleuare poſſint. Deletis enim vel penitus oppreſſis Regibus, Principibus & populis Euangelicis, ſuam tantum luxuriam cupiunt habere ſecuram, & perditiſſimis moribus, remota omni moleſtiarum aſperitate, diffluere. Neque enim propterea cupiunt Pacem, & omni genere copiarum abundare, vt his bonis honeſtè vtantur, hoc eſt, modeſtè ſobriè temperanter, piè. ſed vt infinita varietas voluptatum inſanis effuſionibus exquiratur, ſecundisque rebus ea mala oriantur in moribus quæ ſæuientibus peiora ſunt hoſtibus. Ieſuitæ inſuper, qui neceſſarium hoſtilium armorum terrorem ciuibus, velut pupillis idoneum tutorem

eſſe ſciunt, matrem detrimentorum omnium, ſecuritatem, omniumque animis hoſtem truculentiſſimum pro Pace venditant, vt terrore Reipub. depulſo atq; extincto, mala de rebus proſperis, vti fieri ſolet, continua atque frequentia ſuboriantur: & ereptâ diruptaque domi concordiâ, prius ſæuis cruentisque ſeditionibus, deinde mox malarum connexione cauſarum, bellis ciuilibus tantæ ſtrages edantur, tantum ſanguinis effundatur, tanta proſcriptionum ac rapinarũ ferueat immanitas, vt Euangelici illi, qui vita integriore, mala metuebant ab hoſtibus, perdita integritate vitæ, crudeliora, quam olim, patiantur à ciuibus. Quod, niſi Deus clementiſſimè auertiſſet, non ita pridem per Ieſuitarum conſilia Magnæ Britanniæ Euangelicis contigiſſet: ſicuti id Marianis temporibus, & quidem ſæuiſſimè iiſdem contigiſſe notiſſimum eſt. Hæc ſunt ſalutaria illa remedia, Benigne Lector, quæ ad modum Romanum Ieſuitæ, ſub dulci & ſpecioſo Pacis nomine cooperantur, cuticulæ ſuæ & meliuſculè & delicatiuſculè curandæ cauſa. Ad fraudes iſtas atrociſſimas operiendas, & ſecuritatem inter Euangelicos excitandam, Pontifices Romani ſuos omni tempore veterum fraudium fucatores & pollinctores in promptu habuerunt. Sic temporibus Concilii Tridentini, cum ex frequentiſſimo perfidiæ in Euangelicos vſu, iuſtæ de fide Pontificiorum dubitandi cauſæ increbuiſſent, vt diffidentia illis immiueretur, & inſidiæ, quæ iiſdem longe atrociores ſtruebantur, quã antè, cõmodius occultarentur,

Hermes quidam Letmarius Scriptum, De fide Hæreticis ſeruanda, Euangelicorum oculis, velut nubem, obiecit, dum interea ſicarii, ex cōſilio Cainitarum, lanienas ſuas per Galliam, Angliam & Belgium & callidiſſimè parabant, & calidiſſime & atrociſſimè patrabant. Quibus omnibus, vt Euangelicorum animi rurſus grauiſſimè exacerbati, atque in ſummam diffidentiam adducti eſſent, vti hinc tempore aliquo ad mitigandos dolores, & ſanguinarias fraudes obliuione ſepeliendas, opus eſſe Pontificii videbant, crudelitatem tamen moderationis ſpecie potius tegentes, quàm re uera tollētes, ita etiā inde Fiſtulatorem nouum, ad Euangelicos in retia rurſus alliciendos, ſummiſerunt, Iohannem Molanum, Doctorem Louanienſem, qui æquè perfido propoſito dogma illud, de Fide Hæreticis ſeruanda, aliquot libris, ad ſecuritatem Euangelicis parandam, perſuadere conatus eſt: interim dum Romano Hiſpanici proditionem illam, ſub veneficio auxilii, quod Alenconius fœderatis Belgii Prouinciis oſtentabat, præpararent: qui cum aliis auibus, quas Aucupii periti, Appellantes *nuncupant, tam dulcè cecinit, vt Illuſtriſſimus Auraniæ Princeps Wilhelmus, pientiſſimæ memoriæ, cum tota familia, & vniuerſi Belgii Ordines, caſſibus atrociſſimæ proditionis Antuerpiæ irretiti penè miſerrimè periiſſent, & tot tantæque fœderatorum vrbes facilè intercepta fuiſſent, niſi benigniſſima Dei manu, furibundorum ſæuientiumque in beneficentiſſimos amicos atrocitatem, ciuium ipſorum virtus fortiter repuliſſet*

repuliſſet & repreſſiſſet. Hæc fidei Euangelicis fracta vulnera falſi Prophetæ ſolitis ſuis remediis iterum ſe ſanare velle oſtentant, in Gallia, Heluetia, Magna Britannia, Hungaria, Bohemia, Auſtria, Morauia, Sileſia, Belgio. Cæterum cum veteres cicatrices, & recentia hæc perfidiæ in vniuerſam Britanniam, & antiquã & liberrimam Geneuenſium Rempub. inflicta vulnera, & noui improborum iſtorum per vniuerſum Orientem contra Euangelicos conatus, iuſtiſſimæ & ſaluberrimæ diffidentiæ cauſam omnibus Euangelicis præbere, Cainitæ iſti viderent: Et tamen Roma pace ſua, ipſos Fœderatos armorum diſciplinam (cuius iam ipſos nimis peritos eſſe experta fuerat) quocunque modo dedocere eoſdemque in nouas inſidias pertrahere conſtituiſſet: quendam iterum ex fidei publicæ Decoctoribus (qui Regum, Principum, & Parlamentorum acta publica & legitima, vt ſcelera ſua tegant, impudenti præuaricatione falſitatis inſimulare, ſuiſque illis criminibus alios diffamare publicè pro concione non verentur) ad inſidioſum illud, De fide ſua Hæreticis ſeruanda, dogmą Euangelicis iterum perſuadendum, in publicum reducit. Melioréne, quam antè, propoſito, an callidiore machinatione, ſi non præterita, futurus tandem progreſſus patefaciet. Vigilandum interea magis, atque orandum bonis omnibus quam iſtis perfidiæ Doctoribus fidendum eſſe, & ſupraſcripta exempla, & quæ in hac Apologia ex ipſorum monumentis producentur, facilè oſtendent.

Deo itaque vero ſupplicemus, Chriſtiane Lector, vt à nobis remoueat illos Catholicos, qui delectantur criminibus ſuis, ſiue veris, quod ignominioſiſſimum, ſiue falſis, quod malitioſiſſimum eſt. Benè quidem aliquibus euenit, quòd ſua ſponte hiſtrionibus & ſcenicis illis Romanis ſocietatem vrbium patere noluerunt: exigitur plenius: nullo modo his artibus placatur diuina Maieſtas, quibus humana dignitas inquinatur. Quo igitur pactò Vice Deos illos, qui talibus delectantur obſequiis, haberi putemus in numero ſanctarum cœleſtium poteſtatum, cum homines, per quos eadem aguntur obſequia, a multis iam non habiti ſint in numero qualiumcunque ciuium Chriſtianorum? Incomparabiliter Chriſtiana Religio & fides illuſtrior eſt; vbi victoria, veritas, vbi dignitas, ſanctitas, vbi pax, felicitas, vbi vita, æternitas. Multò minus habet in ſua ſocietate Deus tales Regum parricidas, & veneficos, ſi boni in ſua tales homines ciuitate habere erubuerunt. Proinde ſi ad æternam peruenire deſideremus beatitatem, deuitemus Ieſuitarum ſocietatem. Indignè ab honeſtis coluntur, qui per turpia placantur. Sic iſti ab omnium penitus ſocietate nunc remoueantur, quo modo ipſi iam boni notatione cenſoria a benè conſtitutis Regnis & Rebuspublicis remouere cœperunt. Vale.

APOLO-

APOLOGIA

Pro

CHRISTIANO BATAVO NON CALVINISTA,

Contra

MARTINI BECANI ESAVITÆ ANTICHRISTIANI CATHOLICI, SYLVADVCENSIS, QVÆSTIONES MISCELLANEAS.

Ad

Primam Becani Quæſtionem:

An Caluiniſtæ ſint Euangelici?

RESPONSIO.

QVICVNQVE ea, quæ Tu Becane, in *Aphoriſmis tuis Doctrinæ Caluiniſtarum*, in Reſponſione tua ad *Aphoriſmos Caluiniſtarum*, & nuper in *Quæſtionibus tuis Miſcellaneis*, de *Fide Hæreticis ſeruanda*, contra Defenſorem Fœderatorum, eiuſdemque Reſponſum ad Appendicem

Diſputationis tuæ Theologicę, de Fide Hęreticis ſeruanda, euomuiſti, ſine ira & ſtudio expendent, facilè Te & Calumniatorem inſignem, & impudentem impoſtoré eſſe iudicabunt. Sic enim fieri aſſolet, vt vbi vobis deficit veritatis defenſio, ad calumniandi prorumpatis licentiam. Mali corui, malum ouum. Moris eſt *Filiorum Dei huius ſeculi, incedere cum calliditate, & adulterare ſermones aliorum*, ad inſtar falſorum Prophetarum, qui temporibus Apoſtolorum *cauponabātur ſermonem Dei.* Quâ quidem re Ieſuitæ, vos *Spiritus illius*, qui ſtatim *ab Orbe condito Apoſtata, mendacii & homicidii auctor* nominatur, filios eſſe oſtenditis; antiquiſſimâ certè, & quidem altâ, progenie, ſed ſerpentinâ, & viperinâ. Vnde nemo mirari debet, ſi ſecundum naturam, quæ expelli non poteſt, vniuerſum terrarum Orbem veneficiis veſtris inficiatis, atque mendacia pro veris reponentes, flagitia, facinoraque veſtra propria, intolerandâ calumniandi arte, aliis, iiſque innocuis, adſcribatis.

Inter prima calumniarum tuarum, Becane, capita, quibus innocuos multos appetis, referam, quòd Fœderatorum Defenſorem Caluiniſtam appellitas; Illumne vnquam in verba Caluini iuraſſe probaueris? Nunquid Caluinus *pro eo crucifixus?* Aut ipſe *in nomine Caluini baptizatus eſt? Quis igitur eſt Caluinus?* Vt itaque vniuerſo fidelium cœtui palam con-

Iám conſtet, coram Altiſſimo, cordium omnium inſpectore teſtatò Batauus ſcribit, ſe nunquam vllum Caluini, aut alterius alicuius hominis errorem ſcienter agnouiſſe, aut approbaſſe, neq; etiam nunc approbare, aut in poſterum, Deo propitio, approbaturum. Et ſi quis ipſum erroris alicuius conuincere poteſt, monitus eundem lubens volensque eiurabit, ſicuti blaſphemum Papatum Romanum, & vtramque eiuſdem tyrannidem, à veritate agnitâ, velut iniquitatum cloacam, & indubitatam perditionis æternæ viam, eiurauit iampridem. *Abſit enim ab ipſo, gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Chriſtianum ſe profitetur Batauus, Catholicum & Apoſtolicum, quia in verba Chriſti, Prophetarũ & Apoſtolorum iurauit. Romanum enim ſe prædicare, quia Batauus eſt, tam verum eſſet, quàm ſi Romanus quis, eô quod Romanus eſt, ſe vel Catholicum, vel Chriſtianum eſſe, dicere vellet, id quod falſiſſimum eſſet. Initio ergò hic, Becane, cum Batauum Caluiniſtam dicis, te primi parentis tui ſpiritu ductum, impudentiſſimè mentiri, vt modeſtiſſimè tecum agatur, niſi fumus ille veſter Abyſſinus te impediat, ipſe vides.

Cæterum, vt ipſi videtur, Camarinam mouere, animus tibi eſt. An nondum vapulaſti ſatis? Cum Decretis Conciliorum Lateranenſium, Conſtantienſis & Tridentini,

ſcriptisque & factis veſtrorũ conſtitui,tradi & probari, *Hæreticis fidem ſeruandam non eſſe*, Scripto pro Defenſione tertia Fœderatorũ, Orbi Chriſtiano luce meridianâ clarius probatum ſit? Etiamnum crambem reponere, Batauisque impia veſtra dogmata affingere pergis. Anne Batauum, tu Impoſtor, Minorem tuam, nimirum, *Euangelicos hæreticos eſſe*, aſſumere ſine probatione audes dicere, tanquam ab omnibus conceſſam & confeſſam? Cum vos, qui ſolem veritatis, ſpiſſis peſtilentiſſimorum errorum veſtrorum tenebris obſcurare indefeſsè, ſed fruſtrà annitimini, Orthodoxos iſtiuſcemodi falſis præiudiciis grauatos, cruentiſſimis omnis generis ſuppliciis tyrannicè, etiam nunc & Romæ, & in Heluetia, & alibi adiudicetis? Sed forte Ieſuitæ, quaſi hi omnes[a] homines, cæteri verò omnes bruta, Lutherum & Caluinum, velut omnium iudicio damnatos, Hęreticorum appellatione complectuntur. Verùm ab improbis damnari, mera veraque laus eſt. Vos autem, cum tota Eſauitarum progenie, verè impios & Antichriſtianos eſſe, paulò pòſt, vbi eos, quos tu, carnalis Becane, Lutheranos & Caluiniſtas eſſe, mentiris, Batauus Euangelicos probauerit, manifeſtò demonſtrabit. Innatam interea vobis à primo veſtro parente Sathana, nequitiam & aſtutiam, in ipſo ingreſſu proditis dum diſſimulatis, vel relictis ipſis inſolubilium

[a] Ieſuita omnis homo.

Gen. 3. ℣. 4. & 5.
1. Paralip. 21. ℣. 1. &c.

um argumentorum, quæ vobis à Batauo
biecta ſunt, vinculis, Lutheranos & Calui-
iſtas, quos vocatis, arte veſtra caballiſticâ
a inter ſe committere ſtudetis, vt ipſi, vo-
s cum voluptate aſpectantibus, ipſorum
nprudentiam ridentibus, & cuticulam in-
rim curantibus, ſeſe inuicem mutuis diſ-
nſionibus, iniuriis, & cædibus conficiant:
uaſi (vt falsò ipſis affingis) à duobus con-
ariis aut diuerſis Euangeliis docerentur.
no Chriſti Euangelio veri Chriſtiani &
uangelici contenti ducuntur, reguntúrq;,
rum putumque Euangelium vtrique pro
tegro ſalutaris doctrinæ fundamento ha-
nt, eidemque nomen dederunt: vnde v-
ſque Euangelicorum nomen iure tribui-
r: vti iidem, quum Chriſtum pro ſolo my-
ci corporis capite, & Eccleſiæ vniuerſalis
ſtore & Rege, agnoſcant, iure Chriſtiano-
m nomen ſibi vendicant. Quare etiam
epaſtor veſter, ſecundum ſanguinaria ty-
nnidis veſtræ decreta, vtroſque, Romæ &
bi, eodem ligno vſtulari facit, etiamſi il-
um quidam, in Doctrina de Conſubſtan-
tione, aliiſque quibuſdam ritibus, pro-
us ad monſtroſum veſtrum de Tranſſub-
ntiatione errorem, cultumque Roma-
m accedant, quam alii; Non enim Dra-
ni Romano ſufficit, in aliquo ipſi humi-
er ſeruiri; qui in vno ipſi peccat, omnium
us eſt; cæcâ, vt vos, obedientiâ ipſi pa-

rêre oportet eum, qui à fulmine & flamma eius ſecurus eſſe vult. Hunc tu Lutheranis quos vocas, aliiſque, igneum ſcrupulum, ſi meliore fide cum illis, quàm cum cæteris Orthodoxis, agere velis, exime prius, quàm eoſdem ab eiuſdem periculi conſortibus, mutuaque defenſione, vt vtroſque eò facilius perdere poſſis, ſeiungas. Vos Eſauitas non vno Chriſti Euangelio contentos, pluribus, iiſque diuerſis, imò contrariis agitari Batauus iure dixerit, qui ſacram Scripturam & perfectiſſimum ſapientiſſimi Dei verbū inſufficientiæ accuſantes, ad idolomaniam & apoſtaſiam veſtram Chriſti popello fucandam, ementita Euangelia ab Indis in orbem Chriſtianum producitis: quaſi Impoſtoribus minus periculoſum ſit, de longinquis mentiri. Diuerſis & contrariis vos ducimini Euangeliis, contra reliquos Pontificios, qui hæreſes & ſcelera, quæ ab ipſis & Conciliis, ſecundum Euangelii præcepta aliquoties damnata ſunt, (vt infra ſuo loco demonſtrabitur) intolerandâ Regibus & Principibus temeritate & audaciâ, ad ipſorum, totiusque Reipub. Chriſtianæ detrimentum & interitum, in lucem, tanquam ſalutaria, reuocatis. Quare, cùm ob id aliquos eodem Euangelicorum nomine appellari poſſe, & membra vnici ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ myſtici corporis eſſe, negetis, quod in quibuſdam ſalutaris doctrinæ, non

fundamen-

[q]uod ſmétalibus, per omnia nõ conueniant, [li]cèt interim Chriſtum cum omnibus ſuis [b]eneficiis amplectantur, eundemque pro [v]nico capite ſuo agnoſcant: Multò certè mi[n]us, fratres illos veſtros ignorantes, Fran[c]iſcanos, Dominicanos, Capuchinos, Car[m]elitas, Carthuſianos, Benedictinos, Bern[a]rditas, ſed inprimis omnium horum fe[c]em, vos Depaſtores Eſauitas, in illa opinio[n]um & ceremoniarum varietate & contra[ri]etate, imò peſtiferorum errorum, & hæ[r]eſium damnatarum multitudine, vno Eu[a]ngelio duci iure affirmare poteſtis; maxi[m]è cum myſtico Chriſti corpori, id eſt, ſan[ct]æ Eccleſiæ Catholicę, alterum caput, præ[te]r ipſum Chriſtum, nimirum Pontificem [R]omanum, monſtroſè affingant. Pergis in[te]rim, Becane, calumniis & fraudulẽtis diſ[se]nſionũ ſeminibus, more tuo, Caluinum, [c]eterosque Chriſtianos, falſiſſimè grauare, [q]uaſi nonnulla, quæ Euangelio contraria [si]nt, vel hi, vel ipſe, prodidiſſent, ideoque [n]ec hos, neq; illum Euãgelicos dici debere. [It]que, vt probes, eum docere impudentiſſi[m]è mentiris, *Deum eſſe authorem Peccati*, ne [m]inimo etiam ex ipſius ſcriptis loco allega[to]. Quis te, quæſo, Becane, ſpiritus malus [au]t mentiendi furor impellit? An non po[ti]us pii vos Chriſtianos eſſe iure negare poſ[su]nt, qui Pontificem, quem B. Paulus Ho[m]inem Peccati, & B. Iohannes in Apocaly-

pſi filium perditionis eſſe demonſtrant, pro
Vicario Dei agnoſcentes, Deum peccati au-
thorẽ cõſtituere videamini? Vti etiã cũ Ido-
lolatricos veſtros cultus, qui veteri & nouo
Teſtamẽto prohibiti ſunt, & horrenda pec-
cata in ſe continent, velut Dei præcepto in
Fana veſtra, more Gentilium, introducitis
*mutantes gloriam incorruptibilis Dei in efforma-
tam imaginem corruptibilis hominis*: cumque
*veritatem tranſmutatis in falſitatem, & colitis &
ſeruitis*, velut ex præcepto Dei, *rebus creatis
præterito creatore, qui eſt benedictus in ſecula*.
Cum denique, ſicut Balaam ſomniorum &
malorum conſiliorum Deum Authorem
dixit, ita vos Impoſtores Regum parricidia
(etiam veſtris Conciliis, velut nefanda &
abominanda, prohibita) à Deo (vt odium
ſceleris in ipſum transferatis) mandata eſſe
imprudentiores doceatis: An non, qui hæc
conſiderat, iure dicat, vos nequiſſimâ præ-
uaricatione, & intolerandâ blaſphemia
Deum peccati authorem conſtituere? V
autem iſtiuſmodi parricidia, tanquam op-
ta Dei, laudare, & ipſos parricidas, qui ex
nimi peruerſitate tam nefanda ſcelera p
trant, martyrii coronâ donare, alibi ſatis
mnibus probatum eſt. Proba itaque n
tu, Becane, ſacras literas docuiſſe, illa pec-
ta non eſſe. Volue, & reuolue, Canonico
Catholicos Prophetarum & Apoſtolor
libros, nuſquam inuenies, niſi in Comm
ta

tariis rerum quotidianarum Purgatorii, aut in fronte tua effronte K litera notata, Ieſuitas Chriſtianos Catholicos eſſe.

Verùm fortius te, Becane, cum Patribus tuis cornutis,& tota progenie viperina, propiusque, Batauus aggredi cupit, quando calumniarum mendaciorumque conuicti, tamen calumniari atq; mentiri, & quidẽ multò impudentius, non deſinitis. In eadem illa Quæſtione Batauus notatur, quaſi Philippum Hiſpaniarũ Regem, *raptorẽ & notorium Hæreticum* iniuriâ appellaſſet: Et quæris ab eo, *An hæc ſint cõformia Euangelio?* Itane, Becane, totam tuam Theologiam in Lupanari Romano decoxiſti, vt nõ memineris, etiam Reges, quos falſi Prophetæ ab amore & timore veri Dei, ad impietatem atque iniuſtitiam ſeduxerant, rapinarum, rebellionum, Idololatriæ, Apoſtaſiæ, perfidiæ & fraudiũ, multorumq; aliorum criminum à Prophetis & Apoſtolis fuiſſe notatos? An tu ita in Hiſtoriis infans & nouus es, vt non recordetis, principatus non ſemper pietate vel iuſtitia, ſed ſtupris & adulteriis, aliisque facinoribus geſtos fuiſſe? Annon & Patrũ, noſtraq; memoriâ, multa rapinarum, perfidiarum, & crudelitatum exempla teſtantur, Reges & Principes ipſos, ſed veſtris auaris, perfidis & fraudulentis præceptis imbutos, veneficiisque & ſicis veſtris impulſos, tam crudelia & horrenda facinora edidiſſe, vt Tacitus.

ſimilibus nominibus compellari iure potu-erint? Quoſdam etiam veſtri terrore coa-ctos, ſe populumque ſuum, raptoribus Romanis expilandum, ſpoliandũ, & dilaniandum, expoſuiſſe & reliquiſſe? Hac de cauſa Batauum magis, quam illos, maledicum & ſcurram iure appellaueris? Sed cur iſtis, quæ tibi à Batauo, contra has calumnias reposita ſunt, non reſpondes? Cur ea, quæ abs te tam apertè falſa contra ſe prolata eſſe oſtendit, hîc iterum, iteratâ calumniâ & contumeliâ, reponis? niſi vt te calumniatorem omnibus inemendabilem atque effrontem oſtendas? Si Batauo, ad inuidiam tibi, veſtrisque omnibus, apud Reges & Principes Euangelicos maiorem conciliandam, ſingulares atrociſſimasque contumelias, atque adeo parricidia, veneficia, & alia nefanda recentiſſimaque facinora veſtra, recenſere animus eſſet, noſti, Becane, ipſi non materiam, ſed tempus potius defuturum, cum libri veſtri calumniarum & contumeliarum in Reges & Principes pleniſſimi ſint. Grauiorne Regi pietatis & iuſtitiæ obſeruantiſſimo iniuria inferri poteſt, quàm quæ à patre veſtro Bellarmino, contra apertiſſimam veritatem, nuper fraude Ieſuitica, pag. 65. Apologiæ ſuæ, illata eſt? Verum illum itaque Patrem tuum & veteratorem, & Ardelionẽ, & Archiſcurram meritiſſimè tu laudaueris, ab illæſa bonorum fama abſtinendo. Quod

do. Quod magis abominandum eſt, ne quidem in verbis conſiſtitis, ſed etiam ad ſcelera ipſa, quæ iam ad cœlum vſque aſcenderunt, naturæ quadam malignitate prorumpitis. Quòd autem Batauum ſcurrilitatis inſimulas, quia Idololatrica veſtra tẽpla, Lupanaria: Pontificem Romanum, Antichriſtum & meretricem Babylonicam: vosque eiuſdem Lenones appellet: ſcito te ſcurram & effrontem calumniatorem eſſe. Si Spiritus ſanctus per os Prophetarum & Apoſtolorum, Pontifici Romano, velut Antichriſto, meritricis nomen merito ſuo attribuit, an non Batauum, improbe, iniuſtiſſimè carpis, quod eodem ſpiritu, iiſdemque Doctoribus, ductus doctusque, eundem Antichriſtum, meretricem; illius aulam & Templum: ſpeluncam Latronum, & Lupanar: vosque eiuſdem Latrones, & Lenones, rectiſſimis & veriſſimis veſtris nominibus, compellet? Hæc ne, Beiane, Seraphice Theologiæ Decoctor, ab Euangelio aliena, Prophetarum ſcriptis & monitis abſona, audes dicere? cum calumniandi licentiam Bellarminus veſter, velut authoritate Patrum probatam, vobis impunem eſſe velit: imo ipſa Regum parricidia vobis laudi ducatis? Non ſic, Becane, non ſic. Sed inquis, Becane, *Euangelium ait: Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit Gehennæ; & vos vultis eſſe Euangelici*, inquis, *qui multò atrociora conuitia in alios deſpuitis?*

Item, Becane, quæ hęc tua tam inopina Metamorphoſis? Iamne Batauus Ieſuitis frater factus? quem paulò antè Caluiniſtam, mẽdacem, calumniatorem, & ſcurram nuncupaſti? Crederet equidem ipſe, ſe ſeriò & verè pro mendace, calumniatore, & ſcurra, abs te tali haberi, quia ante pro fratre abs te fuerat agnitus, niſi aliter ſibi conſcius eſſet. Sed Deus prohibeat iſtiuſmodi fraternitatem. Rectè certè vnuſquiſque fecerit, ſi ſe à tali proximo cuſtodiat, & in omni fratre tali non habeat fiduciam; *quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet*, inquit Ieremias [a]. Haud dubiè latet hîc aliquis error. Nam moris tui eſt, aut ſplendidè mentiri, aut impudenter & crudeliter fallere. Batauus Regum parricidis, Incendiariis, Veneficis, Latronibus, Plagiariis, Impoſtoribus, & impuriſſimis Magnæ Meretricis Lenonibus, frater eſſet, eritve, & Chriſtianus aut Euangelicus maneret? Hoc negant Prophetæ & Apoſtoli. Batauusne cum Ieſuitis fraternitatem coleret cum nepotibus ex filio perditionis? Non ſic, Becane, non ſic. Sed video, vnde repentinus hic charitatis καρκαλυκῆς calor ſurgat; vt nimirum, ſi fratrem te agnoſceret, Tu eum, more apud vos iam pridem recepto, quaſi contra legem Euangelii grauiuſculè te palpitantem, & ita, te iudice, gehennæ reũ, ad ignem quantò ocyus damnare poſſes. Non ſic, Be-

[a] Cap. 9. v. 4.

ſic Becane, non ſic. Ex prædictis itaque ipſe facilè concludes, te ſimul & impudenter fallere, & impoſtorem agere: & contrà Batauum, cum & doctrina & mores, ſecũdum gratiam Dei in Chriſto, Euangelio conformes ſint, meritò Euangelicum eſſe: Ieſuitas autem, cum doctrina & facta Sanctæ Catholicæ fidei ex diametro repugnent, verè Catholicos Chriſtianos nec dici nec cenſeri poſſe: ſed tamen per Paranomaſian κακωλύκους meritiſſimo iure haberi debere. Recens enim de charitate tua in Batauum abs te allatum exemplum, te rapaciſſimum ouilis Chriſti inſidiatorem & lupum eſſe, oſtendit. Et hæc ad primam tuam Quæſtionem, ſi placet, tibi ſufficiat reſponſio.

AD QVÆSTIONEM II.

An Caluiniſtæ ſint Hæretici?

RESPONSIO.

EVangelicos (quos tu, Becane, Caluiniſtas mentiris) eſſe Hæreticos, quatuor Argumentis conuincere te velle cum gloriaris, ingenii tui ſublimitate craſſum tuum Batauũ ita percellis, vt ſi perſtes, haud multo labore ex Euangelico conſtantem Chriſtianum feceris. Ita refrænandus Dominus Decoctor argumentatur; Pedellus, ſilentium Domini mei; Quicunque aliter docet, quam Apoſtolus Paulus docuit, Hæreticus

eſt; concedit Batauus. Atqui Pontificii aliter docent quàm Apoſtolus docuit; negat Beianus. Ergo Caluiniſtæ nō ſunt Hæretici, ita concludit Batauus, etiamſi peccatum ſit in Forma; nam ſunt quatuor termini. Reduc, ſi placet, Beiane, argumentum in Formam. Beianus; ſi quis vobis Euangelizauerit præter id, quod euangelizauimus vobis, Anathema ſit. Atqui Caluiniſtæ euangelizant ſeptem eſſe Sacramenta Noui Teſtamenti, vbi Chriſtus tantum duo inſtituit, Baptiſmum & ſacram Cœnam. Ergò Caluiniſtæ ſunt Hæretici. Batauus; Quantū ad formam concedo, ſed quantum ad materiam, concedo tantum catapodialiter, non complexiuè. Quicunque enim ſeptem tradit eſſe Sacramenta, cum Euangelium nobis tantum duo demonſtret, ille aliter euangelizat, quā Paulus, ergò Hæreticus eſt. Atqui Beianus ſeptem tradit eſſe Sacramenta, Purgatorium, & id genus mille figmenta & abominationes, quę Dei verbo ignota ſunt. Ergo Ieſuitæ ſecundum Paulum ſunt Anathema maranata. Quid reſpondebis, Beiane, ad hoc argumentum?

Sed habe tibi, Batauc, à Beiano tuo bono illo fratre aliud, idque ſublimius, & quaſi inexpugnabile argumentum. Quicunque deſerit, inquit, Catholicā Chriſti Eccleſiā, hæreticus eſt. Apoſtatę, quos propter ſingularem in Deum impietatē, iure meritiſſimo in Archie-

in Archiepiſcopos & Cardinales promoue-
tis, aliique ſimiles noui nouatores Pontifi-
cii, deſerunt Catholicam Chriſti Eccleſiam.
Ergo Caluiniſtæ ſunt Hæretici. Maiorem
Batauus fatetur. Minorem non poteſt ne-
gare. Nam omnis Apoſtata eſt deſertor fi-
dei. Qui eſt deſertor fidei, vt Iulianus Apo-
ſtata, eſt Hæreticus, & qui Hæreticus eſt, de-
ſerit Catholicam Chriſti Eccleſiam. Nonne,
Beiane, hæc omnia lubricè ſequuntur? Et
tamen conſequentiam Batauus pernegat.
Inſudas interim, vt Minorem tuam irrefu-
tabili argumento probes; *Catholica Chriſti
Eccleſia inquis, conſtat multis membris, vnitate
fidei & charitatis inter ſe conſentientibus. At ne-
mo Caluiniſtarum in vnitate fidei & Charitatis
cum multis conſentit membris.* Ergò Beianus
eſt Hæreticus. Quare? quia baculus ſtat in
angulo. Ad liram, ad liram. Reformat Bata-
uus tuum Argumentum. Quicunque deſe-
runt Romanam Eccleſiam, deſerunt Ca-
tholicam Chriſti Eccleſiam. At Euangelici
deſerunt Eccleſiam Romanam: Ergò deſe-
runt catholicā Chriſti Eccleſiam. Negatur
Maior; Quia Eccleſia Romana, non eſt ca-
tholica Chriſti eccleſia quæ conſtat multis
membris, in vnitate fidei & charitatis inter
ſe conſentientibus; ſed contrà eſt mera &
vera eccleſia malignātium à fide Chriſtiana
Apoſtaſia, & Babylon, ex qua ſpiritus San-
ctus omnes pios non ſolum exire, ſed effu-

gere monet, ne fiant participes plagarum, quibus Meretrix, eiuſque Lenones & amaſii vapulabunt; id eſt, Sodoma illa ſpiritualis, ex quo omnes pii, velut Lothus, cum ſuis effugiunt, ad quam qui recurrunt, ſi in ea permaneãt, nõ poſſunt, quin pereant. Multitudo tua, Becane, non magis quam Antiquitas, veram Chriſti Eccleſiam conſtituit: imò vera & ipſiſſima Antichriſtianæ Eccleſiæ nota eſt. *Admirans enim vniuerſa terra,* [a] *ſecuta eſt Beſtiam.* Noſti quod vniuerſum & Catholicum conuertantur, & neutrum ſine multitudine eſſe poſſit. Interea velut in tranſitu nota, Becane, inter hos filios terræ, id eſt, perditionis filii nepotes, & temetipſum eſſe, atque adeo Te quã impudentiſſime calumniari, cum Batauum inter terræ veſtræ filios recenſeas. Nugæ interim & fallaciæ veſtræ antiquæ, conſutæ & pernotæ in foro ſerutario proſtituendæ, in Eccleſia Dei fœtent, pannis, annisque obſitæ. Vides, Becane, Batauum non audere aut poſſe negare mirificum tuum argumentum? Sed pergis interea, vt fatui ſolent, quærere, qui ſint illi, cũ quib. Batauus in vnitate fidei cõſentiat? Fortè & Batauo ex te aliquid per humilitatem requirere fas erit: Petit itaque abs te, cum nec Pontificii, cum Eccleſiis Chriſti orthodoxis Gallicanis, Britannicis, Danicis, Sueticis, Germanicis, Belgicis, Heluericis, Auſtriacis, Morauicis, Sileſiacis, Bohemicis, Hungari-

[a] Cap. 13. ℣. 3. Apocal.

Hungaricis & Polonicis, in vnitate fidei cõſentiant, etiamſi cum Turcis, Iudæis & antiquis Gentilibus in Idololatriâ, ſuperſtitione & perfidiâ, per plurima, fortè etiam per omnia conſentiant, eoſdemque ſuperſtitione longè ſuperent, vti iam pridem vobis probatum eſt: quomodo Pontificii in Catholica Chriſti Eccleſia eſſe poſſint? Meminiſti, Becane, Batauum te iam pridem Prætori commendâſſe, vt te ad agnatos remitteret: ſed nunc te furore percitum videt. A Deo quidem immortali quæ poteſt homini maior eſſe pœna furore atque dementia? Huius furioſæ inſaniæ certiſſima nota eſt, quòd ex Batauo quæras, an hodiè in terris aliqua Catholica Chriſti ſit Eccleſia? Stulti ſtultorum conſilio ad Diuum Mathurinum ſanitatis cauſâ ducuntur: Tu, Becane inſenſate, ad Diuum Romanum, quem furioſis ſubſidio eſſe creditis, rapiendus e . Sed iuſtus ſuâ, non alienâ fide viuet, in quacunque orbis plaga is fuerit; extra ſanctam Eccleſiam eſſe non poteſt, qui verâ fide viuit: in Eccleſia, id eſt, in templo, vel multitudine vel in paucitate credentium quidem eſſe poteſt; qui alienâ fide viuit, ſed non eſt de ſancta Chriſti Eccleſia, non magis quàm excrementa de corpore ſunt. Eccleſia adulterata, licèt Catholica, tamen Chriſti Eccleſia non eſt, ſed Eccleſia *malignantium*, quorum ſemper maior eſt numerus quam piorum. Pſal. 25. ℣. 6.

Romanam & Pontificiam Eccleſiam, adulteratam & apoſtaticam eſſe, iampridem piis commonſtratum eſt, qui iuxta præſcriptum Dei, ex lupanari ad cœtum fidelium, & credentium in Chriſtum, ad Eum, inquam, ipſum, vt caput ſuum, confugerunt. Socios omnes videntes & credentes agnoſcimus, quacunque illi ſint orbis plagâ: cæcos & baculos fugimus, ne vel ſeducamur, vel vapulemus. Conſentit Batauus cum omnibus ſupradictis Eccleſiis viſibilibus in vera fide: diſſentit, & abiurat omnes omnium errores, vt dixit, & inprimis Pontificiorum, quaſi notiſſimos & palpabiles.

Tertia machina, quâ temetipſum arietas, eſt, quod Pontificii & inprimis Ieſuitæ publicis ſcriptis, ſtatutis & legibus ſe in omnibus cum Pontifice, etiam nullo excepto, ſentire probent. Atqui irrefutabiliter vobis, Becane, demonſtratum eſt, Pontificem eſſe infidelẽ Hæreticum & ipſum Antichriſtum: Ergo neceſſariò eſtis in Eccleſia fidelium, ſed infideles, hæretici & Antichriſtiani: vt paulò pòſt fuſiùs & clariùs oſtendetur. Batauus interim fatetur, Eccleſias Orthodoxas, & inter cæteras Palatinam, in omnibus punctis fidei & Religionis Chriſtianæ cum Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiis, exceptis pauculis, non fundamentalibus, conſentire: Sed non ob id ſingulorum extrauagantium & maleuolorum Matheologorum

logorum opiniones & ſcripta approbat. Et tamen Pontificii ſunt Hæretici, quia id irrefutabiliter à multis probatū eſt: Et Eccleſiæ, quas Reformatas vocamus, ſunt Orthodoxæ, quia ipſorum inſtituta cum recta Chriſti doctrina conſentiunt, omnes hæreſes abiurant, & nunquam quiſquam eas Hæreticas eſſe hactenus verè probare potuit, nec deinceps poterit.

Addis quartum Argumentum, quod ita argutum eſt, vt quale ſcutum ei repellendo obiiciat, aut quò ſe vertat, Batauus ignoret. *Caluinus*, inquis, *natus & baptizatus eſt in Eccleſia Pontificia: Ergo Eccleſia Pontificia tanquam mater ipſum genuit: vel ergò, cum ipſum gigneret, fuit caſta vel corrupta: ſi caſta, Hæreticus eſt Caluinus, qui eam deſeruit: ſi corrupta, ſpurius eſt, quia ex meretrice natus eſt.* Quid ſi corruptam eſſe Caluinus concedat, an non & te, Beiane, fateri oportebit, temetipſum non minus quam cæteros omnes Ieſuitas, qui ex illa meretrice nati ſunt, ſpurios eſſe, ſi ipſum pro ſpurio habeatis? Nonne etiā hoc verum eſt? vides Beiane, quid velis? Ergò rectè Caluinus & alii, gratiâ Spiritus ſancti regenerati, rectiſſimè inquā, fecerunt, quod ad verum Patrem confugerint, ſeque ab eodem in Filio Chriſto redemptore noſtro, gratuitò & adoptatos & legitimatos eſſe prædicauerint. Peſſimè autē omnes illi ſibi conſulunt, qui in Lupanari illo & Sodoma

nati, iuxta ſeria Spiritus ſancti monita, ad cœtum fidelium non effugiunt, vel iugum Beſtiæ non excutiunt, ſed ſeram & ſeueram iudiciorum Dei executionem inibi operiuntur. Burgheſius natus & baptizatus eſt in Eccleſia Pontificia, vt conſtat, Ergo Pater Burgheſius Pontifex, & genitrix Pontificia tanquam mater ipſum genuerunt. Vel ergò, cum ipſum illa conciperet, fuit caſta vel corrupta ab alio: ſi caſta, vti ſacrificulorum focariæ omnes ſolent eſſe, Hæreticus eſt Burgheſius, quod Eccleſiâ Romanâ relictâ Lutetiam profectus eſt: Si corrupta antè, vti Burgheſius Pater Iupiter veſter Capitolinus eſt ſcortator, ita Burgheſius ille filius ſpurius eſt, quia ex patre ſcortatorum Principe, & ex matre meretrice natus eſt: niſi malis illum inceſtuoſum aut adulterinum & non nominandum dicere, velut ex patre & filia ſpiritualibus carnaliter natum. Et ſic veriſſimum manet, Eccleſiam Pontificiam, reſpectu patris & natorum ſuorum, eſſe ſcortatoriam, meretriciam, inceſtuoſam & adulteram, & vos omnes, teſte Chriſto, eſſe Generationem malam & adulteram. Matth. 12. v. 39. Videſne, Becane, quid res ipſa ferat? quàm argutè tu arguteris pro te & tota matre ſpuria aut adultera Eccleſia? quàm ſtrenuum, more Lenonum, tu meretricium agas?

Ad

AD TERTIAM TVAM QVÆSTIONEM:

An Pontificii ſint Catholici?

RESPONSIO:

In qua demonſtratur, Ieſuitas non eſſe Catholicos Chriſtianos, ſed Antichriſtianos, calumniatores, perfidos, perfidiæque & mendacii doctores, iuuentutis corruptores, Regum & Principum parricidas, veneficos, incendiarios, & legitimorum Imperiorum, Regnorum, Principatuum & Rerumpub. Proditores, Perturbatores & Euerſores.

POntificios nec Hæreticos, nec Antichriſtianos eſſe, Becanus vno Elencho ſe demonſtrare velle gloriatur, cùm tamen infiniti Authores Pontificem (à quo Pontificii deriuantur) Hæreticorum omnium Principem, & ipſiſſimũ Antichriſtum eſſe probarint, nec hactenus illi refutati fuerint. Becanus velut altiora ſapiẽs, maiora ſibi promittit. Videamus itaque vnum illius Magiſtralem Elenchum: *Illi,* inquit prudenter, *cenſendi ſunt Catholici, qui ab antiquis temporibus ad nos vſque, publicè ſemper dicti & habiti ſunt Catholici, nullo Catholico reclamante,* Hẽ, quàm acutè, quàm aſtutè, quàm captioſè! Communem errorem ius facere, Iuris auctores prudenter quidem ſtatuerunt: ita tamẽ ipſi diſciplinæ ſuæ non obliti vel negligentes, vt veritati magis, quàm errori calculi præſcribi

velint; nunquam enim duo aut tres faciunt octo, etiamſi errore computationis à Rationali duo & tres per octo in expenſas relata, longiſſimi & immemorialis temporis diuturnitate pro octo fuiſſent habita. Aduerſus veritatem nunquam præſcribitur. Cœlum & terra cum totâ prudentiâ humanâ tranſibunt, at ne vnum quidem Iota eorum, quæ à Deo dicta ſunt, interibit. Etſi enim Pontificii dicti fuiſſent Catholici à temporibus Chriſti, & fidei Catholicæ in ipſa manifeſtatæ, id eſt, à 1610. annis, nullo Catholico, quē tu æquiuocando Pontificium interpretaris, contradicente, ſequeretur hoc ne magis, eos verè & ſanctè catholicos eſſe, quàm erant Iudæi, temporibus Chriſti, id eſt, plus quam bis mille annos poſt, veri filii Abrahæ, hoc eſt, fidei hæredes? Cū Chriſtus, ipſa veritas, nulla tēporis aut vſus præſcriptione obſtante, eos mendacii arguens, nō filios Abrahæ, ſicuti illi tāto tempore, paucis contradicentibus à Iudæis habiti fuerant, ſed progeniem viperinam nominauerit? Templum Hieroſolymitanum anno mundi 2936. ædificari à Salomone cœptū, & ab eo tempore quo cōfectum, ad Chriſti Saluatoris noſtri tēpora, communi Iudæorum opinione templū Domini, nullo vero Iudæo contradicente, habitum fuit, etiamſi aliquoties expilatum, profanatum, exuſtū & deuaſtatum; In quo templo tandem Iudæi, antiquitate opinionis inebriati,

ebriati, tantam fiduciā poſuerunt, vt etiam ſi impiiſſimi eſſent, hoc ſolo, quod in templo eſſent, ſe ſaluos fore crederent, cum tamen Ieremias Propheta ſanctitatis ſedem in animo collocās, eos ſtrenuè à tam impiâ perſuaſione dehortaretur; *Nolite*, inquit, *confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, vos qui calumniamini aduenæ, pupillo & viduæ, qui ſanguinē innoxium in tēplo effunditis, & poſt Deos alienos ambulatis.* Templum hoc ſteterat plus quam mille annos, & ab antiquioribus temporibus quā Eccleſia Pontificia, citraq; contradictionē alicuius Iudæi, qui populus Dei habebatur, templum Domini appellabatur; Nihilominus Propheta illa verba appellat verba mēdacii. Et filius Dei, qui multò pòſt apparuit, idem Templum ſpeluncam Latronū verè nuncupauit. Sicuti etiam paulò pòſt iuſto Dei iudicio idem illud Templum habitaculum viperarum, ſerpentum & draconum factum. Videsne Becane, quàm illo tuo vno Elencho demonſtres, Pontificios Catholicos eſſe? Audebisne tu, Becane, dicère, eum nec Chriſtianum, nec Euangelicū eſſe, qui in ſimili cauſa Chriſti exemplum, & Euangelii doctrinam, aduerſus veritatis hoſtes, conſtanter proſequitur? Fidem vos hæreditariam vultis, Donum Dei eſt. Fatere itaque, Becane, aliud notas rerum, aliud res ipſas eſſe. Si quis petaciſſimæ tuæ ſocietati aurichal-

Ita Ranæ Apocalypticæ, id eſt, Ieſuitæ, perpetuo coaxāt, Eccleſiām, Eccleſiam, Eccleſiam.

cum, etiã bis mille annos communi errore, nulloque aurifabro contradicente, pro auro habitum offerret, & aliquis ex veſtris falſitate detectâ (vti in pecuniis dignoſcẽdis & rapiendis eſtis acerrimi) aurichalcum eſſe agnoſceret, anne id deinceps pro auro vobis obtrudi pateremini? Sed ſi tibi daretur, qđ in hoc ſolo controuerſia conſiſteret, vt Catholici probarent, Catholicos ſemper fuiſſe tales, quod puerile eſt, & extra oleã, quomodo probares, *Catholicos vllos hodie reperiri, qui nullo Catholico contradicente à Chriſti ad noſtra vſq; tempora pro Catholicis fuiſſent habiti?* Deus bone, annoſos eos oporteret eſſe! Vera & viua in Chriſtum fides, aliquem ſanctum Catholicũ facit, non nomen. Sed videte, Ieſuitæ, qui vos vltimum Eccleſiæ Catholicæ fulcrum eſſe iactitatis, ne cæco vaticinio eidem perditionis viæ inſiſtentes (cui inſiſtebãt Iudæi circa primum Chriſti aduentum, & ſua hypocriſi & impietate Eccleſiam Iudaicam[a] euerterunt) veſtram quoq; quam vocatis Catholicam, circa ſecundũ Chriſti aduentum, (dum maiorẽ habetis in Eccleſiæ nomine, quàm in vera fide, pietate & charitate fiduciam) ſubuertatis. Videsne Becane, ad quæ præcipitia, minus cautos Elenchi tui non ſolum futilitas, ſed periculoſiſſimum & vobis ipſis, & toti, quam vocatis, Eccleſiæ Catholicæ incendium abripiant? Hanc cum viri boni & pii in illa propoſitione (quã tu No-

[a] R. Bellarminus: *Sicuti, inquit, in Teſtamento veteri duo fuerunt Pontifices ſine imperio temporali, & tamen vltimis tẽporibus nõ poterat religio conſiſtere & defendi, niſi Põtifices etiam Reges eſſent; Nimirum temporum Machabæorum: ita quoque accidiſſe videmus Eccleſiæ, vt quæ primis tẽporibus, ad Maieſtatẽ ſuam tuendam tẽporali principatu non egebat; nũc eodẽ neceſſario indigere videatur.* Lib. 5 de Rom. Pont. cap. 9. verſ. Denique.

TAN

TAM appellas) apertiſſimā fraudem attenderint, an non cum Chriſto, Prophetis & Apoſtolis iure dicent, vos nō veros Doctores, ſed meros ſeductores, non puros paſtores, ſed impuros impoſtores eſſe? Sed quid ſi euanidam atque elumbem Minoris tuæ probationem expendant, annon te Becano maiorem Beianum in tota Bœotia reperiri non poſſe exclamabunt?

Minorem, inquis, *probo quia ex tota Antiquitate non potes vllum Catholicum ſcriptorē producere, qui negarit Pontificios eſſe Catholicos.* Annō ipſe vides, Becane, Maiore tuâ ita deſtructâ, Minorē tuā velut fundamento euerſo, à ſemetipſa corruere? Interim tu, Sophiſta, ad probationem tuę Minoris, Batauum vis negatiuæ probatione onerare, tanquam ſi Minor tua vera foret, ſi is nullum Scriptorem Catholicum ex tota Antiquitate produceret, qui negaret Pontificios eſſe Catholicos. Imò Pontificii in prima Antiquitate, nec re, nec nomine noti. Vnde ergo vetus renouatus hic Sycophanta cum ſuis tam monſtroſis demonſtrationibus? Proba tu ipſe, Beiane, Minorem tuam; nimirum *Pontificios ab omni Antiquitate Catholicos dictos*; quod niſi indubitatis antiquorum Patrum ſcriptis, à temporibus Apoſtolorum, ad hæc vſque, ipſe probaueris, & quidem in terminis, duplex meritò impoſtor ab omnibus habeberis: Primò, quòd nec id, quod ſan-

ctum Catholicum efficit, id eſt, verā fidem, in vobis Pōtificiis ab omni Antiquitate continua ſerie repertam fuiſſe, oſtendere poſſitis; deinde, quod ne quidē nomen veſtrum Antiquitati notum fuiſſe, demonſtrare valeatis. Nam quod reponere mihi velle videris, illos, quos vera Antiquitas Catholicos appellauit, eoſdē eſſe, quos tu, Beiane, Pontificios appellas, vel pueri, ſi intelligerent, eo temetipſum Nugonem eſſe, acclamarent: Hoc enim quæritur, An Pontificii ſint Catholici, nō autem, an Catholicus alium Catholicum negauerit eſſe talem. Et tu, vt probes, Pontificios eſſe Catholicos, hac monſtroſâ veteris demonſtratione: *quia Catholici*, inquis, *ſemper ab Antiquis Catholici ſunt appellati, & nullus Catholicus, Catholicum talem eſſe, negauit: Ergò Pontificius eſt Catholicus*. Videſne, Beiane, quomodo te hoc vno Elencho, & Sophiſtam & cauillatorem, non autem Catholicum probes? Eſtne tibi frontis aliquid? Noſti capnioſiſſi num hoc diſputandi genus in Philoſophia minimè probari, cum aliquid minutatim & gradatim additur aut demitur. Soritas hos vocari ſcis, qui aceruum efficiunt, vno grano addito. Sed tam argutè cum in ipſo ætatis flore argutèris, quid, Brabantine Antichriſtiane, veſtris κανθλύκοις tuum ſenium producet? Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν. [a] Te interim, Becane, Orthodoxos, quod à mucore & puluere Iudæo-

[a] *Cum ſe profiterentur ſapientes, ſtulti facti ſunt*. Paul. ad Rom. 1. ℣. 22.

Iudæo-Paganico, id eſt, craſſiſſimis Iudæorum & Gentilium erroribus, cæremonias Chriſtianæ Eccleſiæ expurgent, nouatores nominare non pudet? Quos hactenus veſtrûm nullus probare potuit noui aliquid, quod fidei fundamenta tangat, verbo Dei aſſuiſſe, vel affinxiſſe, vel in Eccleſiam Chriſti Catholicam introduxiſſe? Cum vos ipſi, euidentiſſimis veſtris factis, vosmet nouationis & ſacrilegii reos oſtendatis, [a] dum hinc inuiolabilia Dei præcepta temerario auſu violatis, inde diuinam perfectiſſimamque ſapientiam impiè imperfectionis [b] accuſatis, & ideò humanis veſtris inuentionibus non conſummatis, ſed conſpurcatis, & mordacium inſuper canum inſtar aliorum honeſtiſſimæ famæ amarulenter & falſiſſimè allatratis. Quòd verò hîc, ad probandam prætenſæ veſtræ Catholicæ fidei veritatem, longiſſimam Catholici nominis poſſeſſionem & præſcriptionem, Becane, tantâ cum oſtentatione allegas, futiliſſimum eſt, vt ſupra Batauus probauit. Sed hanc *ſuſurronum, obtrectatorum, Dei oſorum, & fœdifragorum* malitiam eſſe, Paulus oſtendit, *vt veritatem detineant* ἐν ἀδικίᾳ, eamque velut in carcere iniquitatis, tyrannicè conſtrictam vinctamque teneant, lectionem ſacrarum literarum populo Dei (cui à Deo, vt ſcrutarentur Scripturas, imperatũ eſt) improbè prohibentes, eundemque à vero cultu ad Ido-

[a] *Si quis adiecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas ſcriptas in libro iſto, & ſi quis abſtulerit aliquid ex verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius è libro vitæ,* &c. D Iohan. cap. 22. ℣. 18 & 19. Apocal.

[b] Duperonius de inſufficientia Scripturæ ſacræ.

Idolatriam ſeducentes. Videsne, Beiane, argumenti tui, à diuina iniuſtaque veritatis detentione, improbitatem? Quam, vt violentam atq; iniuſtam Apoſtolus nuncupat, ita Beatus Iohannes Catholicæ veſtræ ſuperſtitionis errorem apertè plurimis Apocalypſeos locis, ſed inprimis hoc verſiculo demonſtrat, cum dicit, quòd *admirans* VNIVERSA TERRA *ſecuta eſt beſtiam, & adorauerunt eam, dicentes, quis ſimilis eſt Beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea?* Videsne, Becane, Catholici veſtri nominis veriſſimam delineationem? Sed eiuſdem, imò multò minoris ferrinæ cauillatio tua eſt, qua tertiò ſtoliditatem, ne dicam amentiam tuam prodis, ne quid tibi in eo genere ad perfectionem deſit. Quid enim ſtolidius eſt hoc argumento, quo vobis veritatem ſanctæ fidei Catholicæ conaris adſtruere: cum nimirum dicis, *Si apud Caluiniſtas, Lutheranos, vel Anabaptiſtas non eſſet Catholica doctrina, eam vel nuſquam, vel apud Pontificios eſſe debere?* Tanquam ſi cæteri omnes, præter iſtos, eſſent Pontificii, & nullus Orthodoxus hactenus præter Caluinum repertus fuiſſet. Nam etſi Pontificios Euangelicorum aliqui Catholicos appellauerint, hoc ipſe facilè intelligis, eos aut τὸ λεγόμενον, aut ſecundum ſenſum Beati Iohannis modo indicatum feciſſe. Sit præterea Pontificium nomen commune, cum tamen vniuerſale non ſit, quomodo

cum

cum Catholico conuerti poteſt? Deinde, etiamſi *Vniuerſale* Latinum, cum Græco verbo, Catholicum, bene conuerteretur, non tamen inde magis conſequeretur, Catholicam Eccleſiam minus adorare Beſtiam, quàm vniuerſalem terram. Denique cum voſmetipſi vos Catholicos appelletis, & propterea pro ſanctis haberi velitis, omnes facilè videt, vos turpiter voſmetipſos & alios fallere. Quis enim ita amens eſt, quin ſciat ſatis, quod nemo de ſe teſtimonium perhibere poſſit? Sed Sycophantarum eſt ſuper iſtiuſmodi arenas fundamenta Eccleſiæ Catholicæ iacere; vnde & Bellarminus, vt Petrum primum Romæ Epiſcopum fuiſſe probet, pari vtitur monſtroſitate. *Conſtat*, inquit, *multos fuiſſe* [a] *Chriſtianos, imò Eccleſiam amplam & florentem, antequam Paulus eò veniret, peto igitur, quis hos Chriſtianos fecerit, ſi Petrus non fuit Romæ?* Quaſi verò ex aliis Apoſtolis, vel ex conuerſis per Apoſtolos, nemo iſtuc commigrare, vel id literarum commercio fieri non potuiſſet. Nuſquam itaque minus quàm apud ipſos Pôtificios, ſanctam Catholicam doctrinam reperiri poſſe, ſatis ſuperque tibi, Becane, demonſtratum eſt. Nuſquam autem certius, quàm in ſacris vtriuſque fœderis literis, & in fidelium animis eandem reperiri poſſe, apud B. Paulum traditum inuenies; cum dicat, *Eas nos poſſe reddere ſapientes ad ſalutem per fidem, quæ eſt in*

[a] Bellarm. de Pontifice Rom. lib. 2. cap. 2.

2 ad Tim. 3. ✠. 15. & ſeq.

Chriſto Ieſu. Quod cum tu Becane, & Ieſuitæ tui negotis, dubium non eſt, quin & re & nomine Antichriſtiani ſitis.

Ieſuitas Antichriſtianos eſſe demonſtratur.

Cæterum cum antiqui moris ſit apud veros Batauos, rotundè, ſolidè & apertè cum Aduerſariis agere, Chriſtianus Batauus leſuitas nunquam Antichriſtianos eſſe prædicaſſet, niſi id verum eſſe argumentis indubitabilibus luceque meridianâ clarioribus demonſtrare potuiſſet. Quare, Becane, ne quis te vllâ obtrectatione vel iniuriâ ab eodem affectum eſſe exiſtimet, ſicut Batauus abs te impudentiſſimis calumniis, & & atrociſſimis iniuriis ſe grauatum eſſe ſuprà oſtendit, & iure conqueritur, eò te & totum Ieſuitarum gregem ſpeciatim (nam ad cæteros Pontificios, quod attinet, non paucos inter illos Catholicos Chriſtianos eſſe, & ſub Antichriſti tyrannide errare & ingemiſcere non dubitat) firmiſſimis rationibus adducere ſtatuit, vt vel confitentes vos, ſit habiturus reos, vel ſi cæca veſtra erga Antichriſtum obedientia, aut incurabilis obſtinatio (quibus pœnis Pharaonem, velut maximis & ſupremis, à Deo percuſſum noſti) id impediant, conuictum te, omnes, qui partium ſtudio carebunt, facilè iudicaturi ſint.

Nomina induntur perſonis à factionibus, quibus vel affectu, vel ſtudio, vel voto & iuramento adhærét.

Et primò quidem, nemo in literis ita infans, & in Repub. nouus eſt, qui non intelligat, vel

gat, vel ab effectu, vel à partium ſtudiis, vel à ſubiectionis & obſequii ſacramentis nomina appellatiua perſonis indi. Sic Cæſareanos, Pompeianos, Regios appellari, qui affectu Cæſaris, Pompeii aut Regis alicuius partes fouent & ſequuntur. Cæterum nullis meliore iure appellationes illæ attribuuntur, quàm qui ſingulari promiſſione aut ſacramento alicui deuincti ſunt. Qua de causâ ii verè Chriſtiani nominantur, qui Baptiſmatis Sacramento Chriſto inſiti & conſecrati, in verâ fide ſecundum pactum fœderis & voluntatem Dei manifeſtatam erudiuntur, & Chriſti caſtra atque militiam ad mortem vſque fortiter & fideliter conſequuntur.

Sed cum vos Ieſauitæ, Becane, ſale & ſputo Paganico Patri veſtro Paganæ abominationis reſtauratori conſecrati, eiuſque præceptis imbuti, ſingulari voto & execratione vos ad quæuis Antichriſti, tanquam Dei veſtri, imperata, citra vllam exceptionem vel contradictionem, cæca quadam obedientiâ perpetranda, eiuſdemq; dominationem contra & ſupra omne id, quod Deus appellatur, nefario ſcelere efferendam, deuouetitis: quid ni iure meritiſſimo omnes Chriſtiani vobis, velut deuotiſſimis Antichriſti ſatellitibus & Lateronibus, ante omnes alios, & verè, & quaſi ſolis Antichriſtianorum nomen tribuent?

Vt demonſtretur Antichriſtianiſmus Ieſuitarum; duo probanda ſunt; Pontificē eſſe Antichriſtum, & ipſos Pōtifici ſingulari voto & iuramento obſtrictos eſſe.

Duo tamen, Becane, vt Batauus præſentib priuſquam te dedas, aut conuictum fatearis; ab ipſo flagitare videris: prius, vt Pontificem Romanum, illum eundem Antichriſtum eſſe, vobis probet, quem Prophetæ & Apoſtoli verum & ipſiſſimum Antichriſtum fore, veriſſimis ſuis notis depinxerunt. Alterum, vt vos non ſolum affectu, voto, obſequio, (quemadmodum ſimplices multi, omnis ſexus & qualitatis, veſtrâ impoſturâ, ſeu faſcinatione, & veneficiorum atq; ſicarum metu, *ad adorandam Beſtiam*, miſerè indies ſeducuntur) ſed multò etiam arctiori ſacramento, quàm vlli alii Imperatori, Regi aut Principi, eidem Antichriſto deuotos obſtrictosque eſſe demonſtret; Etſi aliâs æquo Iudici ſuffecerit oſtendiſſe, non minore vos Antichriſtianos appellari poſſe, qui Antichriſti doctrinæ, velut perfectiſſimæ, multò plus reuerentiæ & obedientiæ tribuitis, quàm ii, qui à vobis iniuriâ, ad concitandum illis odium, Caluiniſtæ proclamantur, quique publicè & ſanctè teſtantur, ſe in nulla Caluini verba vel iuraſſe, vel etiam nunc iurare, ſed ſolo, atq; æterno, perfectiſſimoque verbo Dei acquieſcere velle.

Age igitur, Becane, & oculos, aures, & animum (ſi quid horum habes) aduerte, præſtabit tibi Batauus promiſſum, licèt Hæretico; id enim boni viri eſt in licitis & honeſtis fidem ſeruare. Verum ne tibi Becane, tuiſque

que Patribus Ieſuitis, licèt [a] μεστοὺς ἔριδος, δόλου κακοηθείας, vlla cauillãdi aut euadendi cauſa à Batauo relinquatur, ſimplici & confeſsâ veritate propriisque veſtris ſtatutis & præceptis vos conuincere aggredietur.

[a] Paulus ad Rom. 1. v. 29. Plenis contẽtione, dolo, malignitate.

Quod Pontifex Rom. ſit Antichriſtus.

Primùm itaque nolim ego credere te negaturum, eum eſſe verum & ipſiſſimum Antichriſtum, quem ſacræ literæ talem eſſe demonſtrant: Atqui S. literæ Pontificem Romanum verum & ipſiſſimum eſſe Antichriſtum demonſtrant: Ergo Pontifex Rom. eſt verus & ipſiſſimus Antichriſtus. Minorem, ſi neges, ita probabit Batauus; Cuicunque competunt omnes notæ eſſentiales, quibus verus Antichriſtus in S. literis deſignatur, is verus & ipſiſſimus Antichriſtus eſt: Atqui notæ omnes eſſentiales, quib⁹ verus & ipſus Antichriſtus in ſacris literis deſignatur, Põtifici Romano ſoli competunt: Ergo Pontifex Romanus, ſolus eſt verè ille Antichriſtus, quem ſacræ literæ demonſtrant.

Hæ notæ ad calcem huius Libelli, in Synopſi, collatione cum veris notis Chriſti, & teſtimoniis ſcriptorum Pontificiorum factâ demonſtrabuntur.

In ſacris autem literis hæ notæ Antichriſto tribuuntur: nimirum, quod ſit myſterium iniquitatis: homo peccati: Filius perditionis: Paſtor, & Rex ſeu Iudex vniuerſalis: Regnum exercens: ſeſe opponens & efferens aduerſus quicquid dicitur Deus aut Numen: qui habet regnum ſuper Reges, adeò, vt in templo Dei ſuper ſeptẽ montes, tanquam Deus, ſedeat, præ ſe ferens ſe eſſe

Deum: cuius iniquitatis myſterium quidem tempore D. Pauli agi cœptum, ſed apertè Dominatum ſuum tantum exercere cœpit collabente Romani Imperii dignitate, ſpiritualem & ciuilem gladium, vſurpans: Qui cum Chriſti loco ſe eſſe glorietur, doctrinâ Dæmoniorum ſe Pſeudochriſtum oſtendit: Maiorum ſuorum doctrinam contemnens: Exlex, proprioque arbitrio leges figens atque refigens: Regnum [illegible]ans ſuper populos, turbas, gentes, & linguas multas, cum quo Principes terræ poteſtatem, tanquam Reges, vnamque horam accipient, vnumque conſilium habebunt, vires ac poteſtatem ſuam ei tradent, exequentesque ſententiam eius, cum Agno pugnabunt. Exiſtens Apoſtata, Idololatra, Blaſphemus, Hæreticus, Hypocrita: miracula quidē faciens, ſed fallacia tantum: cœlibatum præ ſe ferens, quamuis impuriſſimus ſcortator: Prohibens contrahere matrimonia, iubensque abſtinere à cibis, quos Deus creauit: auarus: Simoniacus: ſuos tamen gloriâ augens, & Dominatores in terra conſtituens, quibus characterem ſuum imprimit: Ebrius ſanguine ſanctorum, & ſanguine Martyrum Ieſu, quas acerrimè oppugnat, & horrendis inauditisq; ſuppliciis afficit: poſtremis Mūdi temporibus retectus flocci habendus, ita vt nemo merces eius emat amplius: imò Reges, antè ipſius Amaſii, odio perſequentur ipſum,

tur ipſum, & deſolatum reddent illum & nudum,& ipſius opes conſument, ipſum & ipſius ſedem perdent & igne exurent. Atqui hæ omnes & ſingulæ notæ competunt Pontifici Romano: Ergò Pontifex Romanus verus & ipſiſſimus Antichriſtus eſt. Quòd autem hæc ita ſint, res ipſa, & quam plurimi probatiſſimi Authores Chriſtiani & Orthodoxi tam perſpicuè demonſtrarunt, vt nullus, niſi qui amorem veritatis non receperunt, & cæcâ obedientiâ, vt baculi vel cadauera feruntur, de iis dubitare poſſit.

Quòd Ieſuitæ Pontifici Romano ſingulari Voto & iuramento ſint obſtricti.

Reſtat alterum nunc probandum, Ieſuitas ſingulari voto & arctiore Sacramento, quàm laterones tyrãno, iſti Antichriſto, nõ vni ſolùm Pontifici in ſpecie, ſed vniuerſis & ſingulis Pontificibus, veluti Deo, imò magis quàm Deo, obſtrictos atq; deuinctos eſſe. Dixit Batauus MAGIS, quia Deus ſibi tãtum ſecundum verbi ſui manifeſtati præſcriptum, toto corde & intellectu pareri vult; Ieſuitæ autem tradunt, homines ſine iudicio aut intellectu, & cæcâ obedientiâ quibuſuis Pontificis mandatis obtemperare debere, verbum Dei inſufficientiæ inſimulantes, Pontificem verò hominẽ corruptibilem intolerandâ ſuperbiâ ſupra Deum efferentes, *Cui non ſolum in rebus obligatoriis, ſed etiam in aliis, licet nihil aliud quàm ſignum voluntatis illius, ſine vllo præcepto videretur, parendum eſſe præſcribunt, idq; non ſolum abdica-*

tione voluntatis, verùm etiam & maximè Iudicii. Hæc ſunt verba Ignatii Loiolæ in Epiſtola ad Fratres Luſitanos, & Ieſuitarum in ſupplicatione Regi Galliarum exhibitâ. Quam Iudicii abdicationem vt Ignatius pluribus probet, §.16. inter cætera ita loquitur, *Vt non intueantur in Perſona ſuperioris hominem obnoxium erroribus atq; miſeriis, ſed Chriſtum ipſum, qui eſt ſapientia ſumma, bonitas immenſa, charitas infinita, qui nec decipi poteſt, nec vos* [a] *vult decipere.* Et paulò pòſt; *Superioris vocem ac iuſſa non ſecus ac Chriſti vocem excipite.* Et paulò pòſt; *Vt quod Superior mandat vel ſentit, defendere ſemper apud animos veſtros ſtudioſè nitamini, improbare autem nequaquã; atq; ad eam ipſam rem proderit benè animatos affectosq; eſſe ad id omne, quod ipſe iuſſerit; Sic enim fiet non ſolùm vt ſine moleſtia ſed etiam vt cum voluptate & lætitiâ pareatis.* Et §.12. *Quod ſi forte quis aliquo temporis ſpatio obediat per communem illam apprehenſionem, quâ cenſetur, perperam etiam præcipienti parendum eſſe, certè id ſtabile & fixum eſſe non poteſt, atque ita perſeuerantia deficit, vel ſaltem obedientiæ perfectio, quæ in prompte & alacriter obediendo conſiſtit. Non enim ibi poteſt eſſe alacritas ac diligentia, vbi eſt animorum ſententiarumque diſſenſio: perit etiam exequendi ſtudium & celeritas, cum ambigitur, expediat, nec ne, facere quod iubemur :* perit CELEBRIS ILLA OBEDIENTIÆ [b] CÆCÆ SIMPLICITAS.

§.3.

[a] Nota Ignatii fraudem atque imposturã. Chriſto, qui θεάνθρωπος, ſumma ſapientia, bonitas immenſa, charitas infinita, nec poteſt nec vult decipere, abſolutè parendum eſt: Ergò & Pontifici, qui homo peccati, Filius perditionis, myſterium iniquitatis eſt, & non poteſt nõ fraudare & perdere.

[b] Cæci Patris cæci nati.

TAS, *cum apud nos ipſos in quæſtionem* [a] *vocamus, rectène præcipiatur an ſecus, atque etiam fortaſſe damnamus Superiorem, quod ea mandet, quæ nobis non ita iucunda ſunt: perit humilitas, quoniam ſi ex alterâ parte paremus, ex alterâ tamen noſmetipſos Superiori præferimus: Perit in rebus arduis* [b] *fortitudo.* Sed ad ipſas conſtitutiones, in quas Ieſuitæ omnes iurare debent, veniatur; ibi inuenietur, Ipſos nulli Regum aut Principum Chriſtianorum adhærere, multò minus obedire debere, præterquam ipſi ſoli Pontifici, vel tantùm ad ſolam illius ipſius vtilitatem & voluptatem. Parte 3. Cap. 1. §. 23. hæc reperiuntur; *Expedit inprimis ad profectum, & valdè neceſſarium eſt, vt omnes perfectæ obedientiæ ſe dedant, Superiorem* (QVICVNQVE [c] ILLE SIT) *Loco Chriſti Domini noſtri agnoſcentes, & interna reuerentia & amore eum proſequentes, nec ſolùm in executione externa eorum, quæ iniungit, integrè, promptè, fortiter, & cum humilitate debita, ſine excuſationibus & murmurationibus obediant, licet difficilia & ſe-*

[a] Ieſuitæ ſacroſanctā ſapientiſſimi; incorruptibilis & immortalis Dei voluntatem imperfectionis inſimulant; Hominis autē, qui inter omnia animalia ſtultiſſimus appellatur, corruptiſſimusque & mortalis eſt, voluntati cæcâ obedientiā parendum eſſe monēt. An hac animorū peruerſitate intolerabilius quid excogitari poſſit?

[b] Quæ maximè requiritur in Latronibus & Ianitzariis; quos Depaſtor ille ad Reges & Principes minus dicto ſuo parentes, nutu ſuo occidendos & manducandos amandat: non itaq; cōſequitur, apud Ieſuitas particidas, nulla Pontificis expreſſa mandata reperiuntur, ergo ipſe talis ſceleris mandator non eſt, ſufficit enim ipſius nutus, ita illi ad ſcelera quæuis parati.

[c] Apoſtata, Idololatra, Blaſphemus, Pſeudochriſtus, Hæreticus, Hypocrita, Homicida, veneficus, perduellis, &c. modo non ſit legitimus Rex, Princeps aut magiſtratus.

a Ieſuitæ cũ ſuos etiam ipsâ ſenſualitate exui velint, eoſdem infra ipſa bruta animantia collocant. Et profectò ita eſt, cum illi in ipſos Reges & Principes ſæuiãt, bruta autem animantia ſuæ ſpeciei conſeruationem nõ deſtructionem quærant; etiam quædã Reges ſuos, quaſi quadam reuerentia proſequantur.

cundum ſenſualitatem [a] *repugnantia iubeat, verùm etiam conentur interius reſignationem & veram abnegationem propriæ voluntatis & iudicii habere, voluntatem & iudicium ſuum cum eo, quod Superior vult, in omnib. rebus: (vbi peccatum non* [b] *cerneretur:) omninò conformantes, propoſita ſibi voluntate &* [c] *iudicio Superioris pro Regula ſuæ voluntatis & iudicii, quo exactius conformentur primæ ac ſummæ Regulæ omnis bonæ voluntatis, quæ eſt æterna ſapientia & bonitas.* Et parte 4. cap. 10. §. 5. *Liberam ſui ipſorum rerumq; ſuarum diſpoſitionem omnes cum vera obedientià Superiori relinquant, nihil ei clauſum, ne conſcientiam* [d] *quidem propriam tenendo, non repugnando, non contradicendo, nec vlla ratione iudicium proprium ipſius iudicio contrarium demonſtrando, vt per vnionem eiuſdem Sententiæ & voluntatis atque per debitam ſubmiſſionem melius in diuino obſequio conſeruentur & pro-*

b Hæc clauſula, cæcæ obedientiæ (quam vocant, &, ſupra omnem pietatem collocatam, obſeruant) ex diametro repugnat: quare etiam vt cæteros, fraudandi & circumueniendi ſimpliciores cauſâ adiectam eſſe, ex infra ſcriptis facilè quiuis videre poterit.

c Prophetæ & Apoſtoli docent, Regulam vitæ piorum omnium eſſe Sacroſanctum Dei æterni verbum: Hi Antichriſtiani voluntatem & iudicium Superioris; in hoc ipſis Paganis & Ethnicis peiores, qui non affectus & voluntates hominum, ſed legem vitæ humanæ Regimen & Regulam eſſe voluerunt, cum mentem humanam peccatis & affectibus corruptiſſimis obnoxiam eſſe ſcirent.

d Ieſuitæ in hominum conſcientiam ſibi tyrannidem vſurpare nituntur.

& progrediantur. Et parte 6.cap.1.§.1. *Omnes obedientiam plurimum obſeruare, & in ea excellere ſtudeant, nec ſolum in rebus obligatoriis, ſed etiam in aliis, licet nihil quàm ſignum voluntatis Superioris ſine vllo expreſſo* [a] *præcepto videretur.* Et paulò pòſt; *Ad ſuperioris vocem, perinde ac ſi à Chriſto Domino egrederetur, quàm promptiſſimi ſimus, re quauis atque adeò literâ à nobis inchoata necdum perfecta relicta.* Et paulò pòſt: *Ad eum Scopum vires omnes ac intentiones in Domino conuertamus, vt Sancta obedientia tum in executione tum in intellectu ſit in nobis ſemper ex omni parte perfecta, cum magna celeritate, ſpirituali gaudio & perſeuerantia quicquid nobis iniunctū fuit obeundo, omnia iuſta eſſe nobis perſuadendo, omnem ſententiam ac* IVDICIVM NOSTRVM CONTRARIVM CÆCA QVADAM OBEDIENTIA ABNEGANDO. Item paulò poſt; *Quiſq; ſibi perſuadeat, quòd qui ſub obedientia viuunt, ſe ferri ac regi à Diuina pro-*

a Non ergò ſufficit Pontifici ad excuſationem reatus Parricidii Regum & Principum, aliarumq; machinationum, ſi nullū apud Ieſuitas reperiatur Pontificis aut Regum & Principū eiusdem Amaſiorum expreſſum aut ſcriptū mādatum, cum illi ad ſignum aliquod volūtatis parere debeant. Exempli gratiâ, ſi Pontifex & Amaſii oſtendāt quos eſſe vel in minimo Pontifici inobedientes. Hoc.n. ſolo ſigno voluntatis ſi Pontificis Ianitzarii admonentur, ad tales Reges & Principes igne, ferro, veneno, vel quauis aliâ fraude tollēdos, non repugnando, non contradicendo, nec vlla ratione iudiciū proprium ipſius iudicio cōtrarium demonſtrando ſed ſpiritu cooperando in bonū. verſari autē debet ob oculos Deus creator & Dominus noſter, propter quem homini obedientia præſtatur, & in ſpiritu amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur curandum eſt. O blaſphemum & impudentiſſimū os! Sic Iudas Principib. Sacerdotum obtemperauit, & malè periit, Par vel maior haud dubiè, & iuſtiſſimo Dei iudicio vos Regum Parricidas pœna manet.

uidentia per Superiores ſuos ſinere debere, PERINDE AC SI CADAVER [a] ESSENT, *quod quoquo verſus ferri, & quacunq; ratione tractari ſe ſinit; vel ſimiliter atq;* SENIS BACVLVS, *qui vbicunque & quacunq; in re velit eo vti, qui eum manu tenet, ei inſeruit.* Atq; adeò magnitudini & gloriæ ſolius Pontificis, & Monarchiæ Romanæ reſtaurandæ & amplificandæ obſtricti ſunt, vt nullius alterius Regis aut Principis, ſit licèt ipſius cauſa iuſtiſſima, ſequi vtilitatem, vel magnitudinem promouere, ſed æmulationibus atque diſſenſionibus inter illos machinatione ſuâ ſuſcitatis, ex illorum omnium & ſingulorum ſpoliis, ſolius ſui Regis Regnũ locupletare & illuſtrare poſſint vel debeant. Verba Conſtitutionis veſtræ talia ſunt: *In ſocietate nec ſit, nec ſentiatur animorum propenſio ad partem alterutram factionis,* [b] *quæ eſſet fortaſſis inter Principes & Dominos Chriſtianos, ſed potius quidam vniuerſalis amor, qui partes omnes, licèt ſibi inuicem contrariæ ſint, in Domino noſtro amplectatur*; Id eſt, in Pontifice Romano; cuius idem propoſitum eſſe manifeſtiſſimè apparet ex verbis Inſtructionis Caietano Gregorii XIII. per Galliam Legato datæ, quæ talia ſunt; *In ſumma*, inquit, *ſi Partialis fieret Pontifex, diminueret ſibi authoritatem, quam illi tribuit nomen Patris & Paſtoris vniuerſalis, quod non haberet, ſi declararet ſe hic*

a Conſiliũ malum cõſultori peſſimum. Fit enim ſæpè iuſt. Dei vltoris iudicio, vt proditores & perduelles Ieſuitæ cadauera fiant, & mẽbris ſuis aues carniuoras paſcant.

Part.10.§.11.
b Neutralitas Ieſuitarũ, inter diſcordias Regum & Principum Pontificiorum, procedit à capite ipſorum Pontifice.

ſe hîc contra Hæreticos, in fauorem [a] *Catholicorum.* Quomodo & Balaam, qui ſe verum Dei Prophetam ſimulabat, ſe petitioni Balac aliquatenus accommodauit; Vtrique enim parti adulando, atque etiam per dolum opitulando, ita pacis & finium arbitrium regere vobis conſilium eſt, vt vel vtramque Sedi ſubiugare, vel ab vtriuſque finibus aliquid ei adiicere valeatis. Vti fecit Q. Fabius Labeo, inter Nolanos & Neapolitanos [b] arbiter, quem improbo hoc præſtigiorum genere nouum Ciuitati Romanæ vectigal adiecisse Valerius Maximus teſtatur. Hinc vides, Becane, te, totamque Ieſuitarum progeniem Antichriſti non ſolum præcipuos Ianizarios eſſe, ſed etiam, ſicuti membra ſunt pars corporis, & Lenones pars proſtibuli, ſic vos ipſos eiuſdem membra, eademque principalia eſſe, atque ita partem vos ipſius Antichriſti & Magnæ Meretricis facere merosque & veros Antichriſtianos eſſe, vel ſi mauis, Senem illum Montanum, vel Septicollem, vobis tanquam baculis vti frui, ad Regum & Principum Chriſtianorum dentes confringēdos, [c] & comminuenda capita eorum, qui impiis, peruerſis, iracundis vel furibundis cerebri ſui Pontificalis cogitatis, quam promptiſſimè, & cæcâ quadam obedientiâ, non parent. Hac cæcâ obedientiâ velut baculo pulſus, Cle-

[a] Ex parte 2. Theſauri Politici Fabricii Romani fol. 322. Debora pronunciauit Mezoritas maledictos à Deo, quia deſidêrent inter duas ſarcinas, audiendo ſibila gregum. Iudic. 5 cap. 16 25.

[b] Cic. off. 1. Valer. Max. 7. c. 3. ſect. 4.

[c] Sic veſter Franciſcus de Verona in Apologia pro Iohanne Caſtello, (qui

mens Iacobita, Parricida Henrici Tertii Galliarum Regis, & Iohannes Caſtellus Henrici IV. Galliæ & Nauarræ Regis, percuſſores parricidiales facti, & Henricus Garnetus & Ouldcornius, ob parricidium ſulphureis ſub parlamento cuniculis in Christianiſſimum Iacobum I. Maioris Britanniæ Regem, Illuſtriſſimosq; Regni ordines tentatum, Rei, in numerum Diuorum, inq; ſceleſtorum cœlum à Sene illo Montano relati ſunt.

velut Baculus cæcâ per vos obediẽtiâ impulſus parricidium in Henricum IV. Galliæ & Nauarræ Regem tẽtauerat) eũdem à fortitudine Heroica commendat. Parte 2. cap. 1. & part. 3. cap. 1. & 2. allegans locum ex Pſalmo 57. *Deus cõteret Dentes ipſorum in ore eorum: Molas Leonum cõfringet Dominus.*

Quod autem ad fucandam vel obducẽdam cæcæ illius & bacularis obedientiæ turpitudinem, clauſulam illam, *vbi peccatum non cerneretur*, adiicitis: quærit Batauus ex te, Becane, ſi modò aliquid abs te quærere fas eſt, an verbum illud, *cerneretur*, à veſtris referatur ad obedientes, an ad Imperantes, an ad vtrosque? ſi ad obedientes tãtum, vt videtur; cum hos, vt cadauera [a] & baculos, non tantum *voluntate & iudicio*, ſed etiam *omni ſenſualitate* exutos eſſe velitis,

[a] Antichriſtus enim fortiori vinculo poſtulat ſibi obſtringi mancipia ſua, quàm ſibi domeſticos ſuos Deus; Huic ſatis erat, ſigillum [illegible] aliquo ſigno ad ſummam cutem afficiendum: At Beſtia vult [illegible] ſuum inſigne penetrare: Vnde characterem adhibet inſculpendum in ipſam carnem, in ipſam dextram manum, pro eo ſcilicet ſtudio, quo ſolet vehementius vrgere humanum obſequium, quàm diuinum.

tis, quomodo, non dicam de occultis & minus cognitis, ſed de manifeſtis criminibus, vel ſenſu tantum diiudicare poterunt? Sed detur, verbum *cerneretur*, ad Superiores & Imperantes referri: vel ille Superior erit immediatus, vel mediatus, & alium ſupra ſe agnoſcet: qualis tu, Becane, es, qui Prouincialem agnoſcis: ac non ſicte etiam, reſpectu ſuperioris, cæcum & bacularem oportebit eſſe obedientem? Vnde conſequitur, non ſolùm catapodialiter, ſed etiam complexiuè, & concluſiuè, vos quoque plusquam Balaami cæcitate percuſſos, omni voluntate, intellectu & iudicio, velut cadauer carere, in tenebris agere, ſimiles eſſe Idolis, quæ ex lignis & baculis facitis, deniq; mortuos & cæcos eſſe. Vnde mirari nemo debet, vos tam inepta atque ſtolida argumenta proferre. *Neſcierunt*, inquit Propheta, *neque intellexerunt, obliti enim ſunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant* [a] *corde ſuo.* Quid itaque de vobis hîc dicendum aliud, quàm quod ipſe Magiſter Chriſtus dicebat de Phariſæis: *Sinite*, inquit, [b] *Cæci ſunt, & Duces cæcorum: cæcus autem, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadent; Sinite mortuis ſepelire mortuos*; cum vt cadauera in cæca veſtra obedientia feramini? Et ſic ſentis, Becane, etiamſi verbum illud, *cerneretur*, ad vtrumque referretur, tamen fraudandi cauſa dictum eſſe; cum tibi demonſtratum ſit,

a Eſa. c. 44. verſ. 18.

b Matth. 15. verſ. 14. Luc. 6. v. 39.

mentes Imperantium mediatè, & abſolut
c obedientium pariter à *Deo huius ſeculi ex-*
cæcatas eſſe: ſicque vos omnes, except
Pontifice, qui ſolus imperat, vobiſmet ipſi
iudicibus, cæcorum cœtum eſſe oportere,
atque ita ſæpiſſimè in foueas, quas piis fodi-
tis, voſmet ipſos miſerè præcipitari. Vnd
pii omnes circumſpicientes vos, meritò cu
Christo capite ſuo dixerint: *Contriſtati ſu-*
mus ſuper cæcitate cordis illorum. Percuſſit
haud dubiè vos, *Dominus amentia, & cæcita-*
te, & furore mentis quia apparet, vos magis tene-
bras, quam lucem diligere, quum opera veſtr
ſint mala, vt ſuprà demonſtratum eſt. Se
Doctor [a] gentium ſuos monet, vt *nolint*
communicare operibus infructuoſis tenebrarum
cum filii [b] *lucis & filii Dei non ſint filii nocti*
neque tenebrarum; vbi Apoſtolus notat cæ
citatem hanc veſtram ſignum eſſe certi
ſimum repentini excæcatorum interitu
Addam & alteram quæſtiunculam, priu
quam à cæcitate veſtra aufugiam; vultis
Becane, *ad ſuperioris vocem, perinde ac ſi à Chri-*
ſto Domino egrederetur, omnes quàm prompti
ſimos eſſe; Intelligitis haud dubiè, tali Sup
riori cæcâ obedientiâ obtemperandum e
ſe, qui vt Chriſti vicarius nihil aliud, quà
quod Chriſtus velit, nobis ſit mandatur
vtque ſecundum id tantum, ſicuti veſtru
aliquis docet, veluti iumenta Dominis, i
veſtris Superioribus pareant; *Eſto*, inqu
veſt

c Paulus 2. Cor. 4. v. 4

Marc. 3. v. 5.

Deut. 28. v. 28.

a Ad Epheſ. verſ. 11.

b Paulus ad Theſſalon. 5. v. 5.

vellet ille, *Deo, quod eſt iumentum tibi: non-*
mittur illud perſcrutari ſecreta tua: non coneris
temerare arcana Dei. Docet(*vt de viliorib. loquar*
animalib.)*aſinus tuus, quid te velit facere Domi-*
nus Deus tuus, cuius ſi ſecreta penetrare volue-
ris eius iumentum eſſe non poteris, de quo pſal-
mus. Vt iumentum ſum factus apud te. At quo-
modo quæſo, Becane, iumentum & cæcus,
vt cadauer, & baculus, qui *intellectu & iudi-*
cio ſe exuere debet, ſcire poterit, aliquem eſ-
ſe Chriſti vicarium, & nihil niſi pia, ſancta &
iuſta præcipere? *Nolite*, inquit Propheta
Dauid, *fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt* Pſal. 32. v. 9.
intellectus. & Beatus Paulus ad Romanos,
Nolite, inquit, *conformari huic ſeculo, ſed refor-*
mamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis, quæ
ſit voluntas bona, & benè placens, & perfecta.
Vos interim tam cæcâ obedientiâ omnes
Pontificios Antichriſto Romano deuin-
ctos eſſe vultis, vt eum pro ipſo Chriſto, e-
iusque omnia præcepta pro Chriſti præce-
ptis, nullo interpoſito iudicio agnoſcant.
Improbe, (dicit Deus per Prophetam, iſti, qui
mentis ſuperbiâ ſe ipſi aſſimilat:) *cogitaſne*, Pſa. 50. v. 21.
me prorſus ſimilem tui? Eóne audaciæ, Beca-
ne, te tuosque Eſauitas aſcendiſſe credis, *vt*
Altiſſimi iram ſuperaueritis? Arguet vos Deus,
& ſtatuet contra faciem veſtram. Vt tandem
concludam; cæcitate hac veſtrâ omnibus
patefacitis, vos vel ex Balaami poſteris eſſe
(qui cum ſe Prophetam Dei oſtentaret, hy-

pocriſi & auaritia ita excæcatus fuit, vt ne i[d]
quidem videret, aut ſenſu perciperet, quo[d]
a Num. c. 22 ipſius Aſina [a] agnouerat) vel potius ve-
ros Antichriſtianos. Cæca enim illa obe-
dientia verus Beſtiæ character eſt, facitiſ-
que vos, *vt terra & incola eius Beſtiam ado-
rent: adeò vt ne quis poſſit emere aut vendere, ni-
ſi, qui habeat characterem aut nomen Beſtia, au[t]
numerum nominis eius*: & ſe Eccleſiæ Catho-
licæ Rom. h. e Antichriſto ſubiiciat; adeo, [vt]
quicunque *non adorauerint* cæcâ obedienti[a]
imaginem Beſtiæ, à vobis ipſius Lateronibu[s]
& Parricidis occidantur, dirisve omnibu[s]
voueantur. Effugere itaque nullâ poteſti[s]
arte aut Sophiſmate, cum ſuprà oſtenſu[m]
ſit, Pontificem Romanum verum & ipſiſſi-
mum eſſe Antichriſtum, quin vos, qui iura-
to veſtra obſequia vitasque eidem conſe-
crauiſtis, Antichriſtianorum nomine ant[e]
omnes alios iure meritiſſimo appellari poſ-
ſitis & debeatis.

Ieſuitas eſſe Regum & Principum Chriſtianorum proditores, perduelles, parricidas, incendiarios, & veneficos, non obſtantibus ipſorum exemptionibus & vſurpatis priuilegiis.

Perget itaque ad cætera Batauus, ac pro-
cliue nunc illi fuerit demonſtrare, Becane,
Ieſuitas Antichriſtianos, Pontificumqu[e]
Ianitzarios, primarios Regum & Principu[m]
Chriſtianorum Proditores, perduelles, pa[r]
ricidas, incendiarios, & veneficos eſſe. Et [vt]
eos primum proditores probet, ſcis Becan[e]
quod *Nemo poteſt Dominis ſimul inſeruire du-
obus*. Quis ergo dixerit, vos (quos vera An-
ti-

tichriſti mancipia eſſe nunc conſtat) Regibus & Principibus Christianis, veris Dei vicariis, fideles atque obedientes eſſe poſſe? Sed antequam Batauus vos criminum, vobis à bonis omnib. iure intentatorum, reos peragat, prius aſtum illũ, quo Ieſuitę ſe à notiſſimis criminib. liberare nituntur, detegẽdum eſſe credidit: eo.n. patefacto, cuiuis facilè fuerit illorum veritatem agnoſcere.

Non diffiteberis, Becane, vos omnesque alios Eccleſiaſticos (ad factionem veſtram numero muniendam) in eo iam pridem eſſe, vt vos à Regum & Magiſtratuum quorumuis *Iuriſdictione etiam temporali* penitus eximatis: quaſi, cum illis nullo Sacramento obſtricti ſitis, etiamſi maxima & atrociſſima quæque ſcelera in eoſdem perpetraretis, nullo tamẽ ſupplicio per ipſos affici deberetis. Quid hac præuaricatione intolerabilius? Criminum quoque atrociſſimorum impunitatem inter iura, libertates & exemptiones Eccleſiaſticas referre? Meritò itaque Batauus vos Iudæis aſſimilauit, qui ſub primum Chriſti aduentum, pari in Cæſares & [a] Reges perduellione, & ſuammetipſorum & totius Regni Iudaici euerſionem accelerabant; de quibus Ioſephus ita loquitur: Nam *etiamſi tota gens Iudæorum fidem ſuam iureiurando obligaſſet Cæſari & Regi, hi ſolùm non iurauerunt, excedentes ſex millium numerum.* Quos [b] ſicuti iam inſtantis vltimi iudicii ſignum Scriptura eſſe teſtatur.

[a] Pro Defenſione tertia fœderator. fol. 11.

[b] Ieſuitæ Phariſæos & malitia & numero longè ſuperãt: quod verũ

Hypocriſi, perfidiâ, auaritiâ, ſuperbiâ & Rebellionibus in Reges & Principes longè ſuperaſtis, ita etiam vos plus tertiâ (Dei peccatis hominum irati patientiâ) eoſdem nũc numero ſuperare, veſter Petrus[a] Ribadenira teſtatur; Vt impleretur, quod Spiritus Sanctus in Apocalypſi teſtatur de Spiritibus immundis, quos *coaxantibus ranis* aſſimilat: [b] *Spiritus Dæmoniorum edẽtes ſigna, quiq; abeunt ad Reges terræ, & totius mundi, vt congregent eos ad prælium magni illius diei Dei omnipotẽtis.* Quorum apparitionem, Iohannes dicit in ſequẽti verſu, Dei iudicium paulò pòſt ſubſecuturum, his verbis, *Ecce venio*, inquit, *vt fur, Beatus, qui vigilat*, &c. Et Beatus [d] Paulus de excæcatis illis falſis Prophetis teſtatur idem: *Cum enim dixerint* (ait) *Pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient; ſuos autem ſolatur, cum non ſint in tenebris, quod dies illa eos tanquam fur non comprehendet.*

Supradictæ etiam exemptionis obfirmandæ cauſa Ieſuitæ veſtri, tanquam Principium indubitatum & baſim firmiſſimam veſtræ Antichriſtianæ obedientiæ poſuerunt, [e] *Rebellionem Clerici contra Regem non eſſe crimen læſæ Maieſtatis: quia*, inquiunt, *ei non eſt ſubditus.* Vnde Reges & Principes

[a] In catalogo Illuſtr. Scriptorum Religionis è Societate Ieſu.

[b] Cap. 16. v. 13. 14. 15.

[d] ad Theſſ. 5. v. 3. & 4.

[e] Emanuel Sa Ieſuita in Aphoriſmis caſuum conſcientiæ, in verſiculo Clericus, laudatus à dicto Ribadenira in dicto catalogo.

cipes Chriſtiani facilè vident, Antichriſtum Romanum non alio conſilio ſatellites ſuos exemptionis priuilegio munire voluiſſe; quam vt, velut Depaſtor vniuerſalis, impunè per eos, velut excæcatos, omnia in alienis Imperiis agere, turbare, rapere, Reges; Principes & Ordines; ad nutum tantum ſuum, *occidere, manducare*, deuorare & perdere poſſet: ſecundum Seraphicam illam Card. Baronii interpretationem verborum; *Paſce oues meas.* In quam rem etiam peculiari charactêre in manu dextera ſignati, vt eò audaciore & fortiore perfidioreque conatu omnes Reges, Principes & populos, qui ipſi ad nutum non parêrent, cum ſuę totius tyrannidis & libidinis incremento, internecione delere pergant.

Sed vt Antichriſtianos hos, illis non obſtantibus, manifeſtò proditionum & Rebellionum in Reges & Principes Batauus conuincat, inprimis hoc demonſtrandum eſt, Antichriſti propoſitum eſſe, vniuerſum orbem, non ſpirituali tantum, ſed temporali præcipuè Monarchiæ ſubiicere, & hoc nomine omnes Reges & Principes ipſum pro capitali hoſte optimo iure habere debere, ſecundum id, quod ſcriptum eſt: *Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui*

A Pontificis ad Monarchiam vniuerſalem & temporalem in omnes Reges, Principes & Ordines totius Orbis vſurpandam propoſito, & Ieſuitarum ad illud iuuandum & promouendum voto & iuramento, Ieſuitæ proditores eſſe demonſtrantur.

reliqui fuerunt de populis, propter ſanguinem h
minis & iniquitatem terræ ciuitatis, & omni
a Hab. 2. v. 8. Eſa. 33. v. 1. Ierem. in Thren. 1. v. 21. &c.
c *habitantium in ea.*

Nam quicunque publicè alicui vitę, Sta-tus, aut omnium bonorum quæſtione[m] mouet, iure pro capitali hoſte ab omnib[us] habendus eſt. Atqui Pontifex Romanu[s] præcipuè Ieſuitarum ope, Regibus, Princi-pibus & liberis Ordinibus omnibus vitæ, ſtatus & bonorum omnium quæſtionem mouet. Ergo ille ab his pro capitali hoſt[e] habendus eſt. Quod autem Pontifices ii[s] Regibus & Principibus primò omniu[m] bonorum, deinde ſtatus & vitę quæſtionem moueant, patet ex Poſitionibus ſequenti-bus; nimirum, quod ad temporalem vni-uerſi Orbis Monarchiam, ipſumque domi-nium, tendant, idque iam quaſi iure ſibi de-bitum vindicent; Vnius autem eiuſdemqu[e] rei duo in ſolidum Domini eſſe nequeun[t]. Quod etiam Reges & Principes, non Eu-angelicos tantum, quos illi Hæreſeos accu-ſant & damnant, ſed & Pontificios, minu[s] dicto audientes, excommunicent, atque e[os] non ſolum Regnorum & Principatuum in-capaces atque indignos iudicent, ſed de fa-cto ipſos illis priuent, & inſuper, vel ciui[li] morte eos in Monaſterium detrudant, v[el] etiam venenis, ſicis, & aliis populorumqu[e] rebellionibus & technis è medio tollant.

Quod autem Pontifex ad vniuerſi Or-bi[s]

bis Imperium temporale tendat, probatur non ſolùm ex iis, quæ ſupra Antichriſto iuſtè & verè attributa ſunt, ſed & ex Imperii vniuerſalis, quod Pontifex vſurpat, notis eſſentialibus. Denique ex propria Pontificum & *P*ontificiorum Scriptorum Confeſſione & vſurpatione. De notis Antichriſti ex ſacris petitis hîc plura non dicemus. Ad notas igitur Imperii vniuerſalis veniatur. Inter has ſunt, Maieſtas & dignitas ipſius perſonæ *P*ontificis, quia is ſibi vſurpat dominium vniuerſale temporaliter in toto Mundo, cuius etiam partes illis, qui ipſum adorant, dare ſe fingit: quo nomine quoque ſeptima Beſtia in Apocalypſi appellatur: quia caput item ſuum triplicis coronâ, non ſpirituali, ſed temporali, redimitum eſſe vult, in ſignum triplicis Imperii, Cœleſtis, Mundani, & Infernalis, quo etiam, velut dependentes, maximorumque prouentuum, complectitur terras & aquas Vtopialis Purgatorii: Sic, vt *P*ontifex non ſolùm rerum exiſtentium, ſed & non exiſtentium, ſe Dominum, eoque ipſo maiorem vero Deo eſſe, gloriari poſſit. Dominii item vniuerſalis ſigna euidentiſſima ſunt, honor pluſquam Regius & temporalis, ipſi in pedum deoſculatione delatus: Legum ferendarum & abrogandarum libera facultas; qua de cauſa etiam

Monarchiæ ſeu Imperii vniuerſalis notæ eſſentiales.

Doctor Marta de Iuriſd. c. 46.

Concilii Tridentini decreta, pro lege fundamentali duplicis ſuæ Monarchiæ, omnibus Regnis & Imperiis obtrudit; Iuriſdicundi ſuprema & vniuerſalis vſurpata poteſtas; vt & omnium Imperatorum, Regum & Principum conſtituendorum & abdicandorum facultas: Concilii Cardinalium & Senatus vniuerſalis ordinarii à ſua electione & directione dependentis exiſtentia: ſupremi Concilii œcumenici conuocandi, & moderandi ius: Legatorum & mittendorum & audiendorum poteſtas: facultas conſtituendi & delegandi in Regna, Principatus, & Dominia aliena Legatos & Proconſules, cum facultate & poteſtate iubendi & iudicandi; quorum nomina quidem, vt ambitio ipſius tegatur, in Nuncios & Protectores mutauit, ſed rem & poteſtatem illis reſeruauit. Sicut è contra Regibus, & Principibus, velut ſeruitutis ſuæ inſtrumentis, præter Imperii nomen & vmbram vix quicquam aliud relinquit; Tributa [a] & Vectigalia, quæ Regnis, Principatibus, & Rebuſpublicis imponit, & ſub ſpecie ſacra, vt Palliorum, Annatarum, Indulgentiarum, & ſimilium prouentuum ad ſe rapit; In ſumma, occupatum Belli paciſque & fœderum [b] conſtituendorum ius, [c] ne quid dicam de Collegiis veteratorum ſuorum, quę ille ad inſtar Coloniarum veteranorum Ro-

[a] Doctor M[illegible] de Iu[illegible] p. 1. cap. 45.
[b] Doctor Marta de Iuriſd. par. 1. c. 39. & 40. 41.
[c] Marta d. cap. 41.

Romanorum per omnia vniuerſi Orbis, non Europæ tantum, Regna, & renouati Imperii firmamentum, diſtributa [a] habet.

[a] Licet enim Coſteri ſocius ad inuidiam Pontifici minuendam, literis ſuis, ex Inferiore Germania Romam miſſis, & interceptis eadem: in Hiſpani vtilitatem erecta eſſe teſtetur, quum ait: *Quotquot nos in Germania Collegia habemus, tot nunc Rex noſter* (id eſt, Hiſpanus) *inibi Caſtella habet*, id tamen ad promouendam Eccleſiæ Romanæ Monarchiam & magnitudinem tendere, apertiſſimè teſtatur Petrus Ribadenira Ieſuita Hiſpanus; cum diſertis verbis Seminaria Ieſuitarum eſſe ait *Hæreticorum exitia, & Apoſtolicæ Sedis Propugnacula*, in Catalog. Illuſtr. Script. Societ. Ieſu, Robertus Perſonius.

Etſi autem ex hiſce notis ſatis euidentes demonſtretur, Pontificem Romanum non ſolum omnium bonorum, ſed & ſtatus quæſtionem Regibus & Principibus mouere, clariùs tamen, Becane, vobis cæcutientibus, vt palpitare poſſitis, id oſtendendum eſſe, non tam veſtri, quam aliorum gratiâ Batauus exiſtimat. Vt itaque probet, Pontifices Regibus & Principibus omnibus Status quæſtionem mouere, fatebimini haud dubiè vltrò & libenter quidem, quod is alicui Status quæſtionem moueat, qui in ſeruitutem vindicat eum; qui pro libero ſe gerit, quique Nobili, Principi aut Regi nobilitatis, Principatus, aut Regni quæſtionem intendit. Hoc autem Pontifices duplici modo agere, Batauus ita probabit; vno, dum Pacis artibus, ad antiquum modum Romanum, Reges, &

*P*rincipes antea liberos, & imperia ſua gra-
tia Dei ſolâ tenentes, ad Sedis ſuæ ſeruilem
obedientiam cogunt, ipſos iudicio, id eſt,
ſummâ Regiâ & *P*rincipali dignitate ex-
uunt, ſuoque eoſdem penitus ſubiiciunt,
iiſdem, præter nomina, vmbram & ſpe-
ciem nihil relinquentes aliud, quam
quod ſint inſtrumenta ſeruitutis [a] Ro-
manæ, quos ob id Spiritus Sanctus TAN-
QVAM REGES, qui cum Pontifice Se-
primâ Beſtiâ *momento aliquo poteſtatem ſuam
exercebunt*, meritò appellat, quomodo et-
iam vos eos QVASI FILIOS primogeni-
tos indigetatis. Altero, quod minus mo-
rigeros, ſiue Pontificios, ſiue Euangeli-
cos, penitus regno, ipſoque regio nomine
priuent, nec inde eos amplius Reges, ſed
tyrannos nominent, quo ſenſu etiam vos
neque Regum, neque *P*rincipum parrici-
das eſſe, ſed Heroicos Tyrannorum occi-
ſores, Regnorumque & Rerumpublica-
rum à tyrannide liberatores gloriamini.
Quod ſi hoc non ſit, Becane, Regibus &
Principibus ſtatus & vitæ quæſtionem mo-
uere, nihil vnquam aliud id eſſe potest.
Quæ omnia facti euidentia, & exemplis
iam pridem notiſſima vſurpatæ magna ex
parte vniuerſalis tyrannidis, & deſiderium
reliquę in omnes Imperatores, Reges, *Prin-*
cipes & populos dominationis vſurpandæ
proferēdę demonſtrant. Sicuti etiam, cum

[a] Ita Tacitus in vita Iul. Agricolę, olim Britanniæ Reges indigetauit.

Po-

Pontifices eoſdem de ſolio Imperii, veſtro ſuaſu, & ſubditorum Rebellium ope, deturbant, ad ſuos pedes deuoluunt, ipſosque, dictu nefandum, pedibus conculcant, virgis, veneficiis, ſicis, parricidiis & ſulphureis cuniculis è medio, cum libet, tollunt, & tollere nituntur. Denique, quid opus eſt multis? ipsâ Pontificum [d] & Pontificiorum [e] liberâ confeſſione illa probantur. Nam Doctor Marta de Iuriſdictione, (cuius ſcripta Pauli Quinti gratiâ & priuilegio confirmata,) tradit in Terminis, *Pontificem habere ſummam in vniuerſum Orbem Laicam poteſtatem in temporalibus, non ſolum habito reſpectu ad ſpiritualia, ſed etiam ad temporalia, naturaliter & temporaliter: habereque ſupremam Iuriſdictionem temporalem temporaliter & directè.* Quod ergo iure Pontifices omnium Regum, Principum & Liberorum Ordinum, etiam eorum, qui iam Seruitutis Romanæ inſtrumenta facti ſunt, (quia perpetua inter Dominatum & ſeruitutem pugna eſt) hoſtes & perduelles ſint, & haberi debeant, ipſe, Bene, ſatis apertè & clarè vides.

Sed quod vos huius Nimrodi & Orbis vniuerſi Raptoris [f] exploratores, Rerumque & Principum omnium præcipui proditores ſitis, non aliis quam veſtriſmet

[d] Capite 1. Vnam Sanctam, §. in Sacr. Extravag. de Maiorit. & obed.

[e] Franciſcus Bozius de Temporali Eccleſiæ Monarch. Iſidorus Moſcon. de Maieſtate milit. Eccleſiæ, libro primo, part. 1. capite quarto, pagina 95. & multi alii.

[f] A Proditorum Definitione demonſtratur, quod Ieſuitæ tales ſint.

ipſis legibus, ſcriptisque probare opus eſt cum illæ ſatis multis, iisque ad hoc probandum indubitatis argumentis abundent. *Noſtra vocationis eſt*, inquitis, *viam agere in quauis mundi* [m] *plaga, per varia loca diſcurrere, & in quibuſdam continenter reſidere*; Ad quid? vt, ſpecie pietatis promouendæ, *litterarum vltrò citroque miſſarum inter inferiores & ſuperiores frequenti commercio, crebrò alios de aliis certiores faciant de iis, quæ variis ex locis ad ædificationem, & eorum, quæ geruntur, cognitionem, adferentis.* Hæc veluti tua agnoſces, Becane. Adde & hanc veſtram regulam; *Cum Prouinciales ſcribent Generali, curabunt, vt Statum domorum, & Collegiorum, ac totius Prouinciæ* be...

m Hinc meritò Ieſuitæ Catholici appellantur, quia ipſorum ſeductio non ſingulari aliquo mundi angulo circumſcripta, Sed *Angeli iſti ſeducunt*

TOTVM TERRARVM ORBEM, Apocalypſeos duodecimo, verſu nono. Sic quoque Spiritus Sanctus impuros hos Spiritus, *qui ex ore Beſtiæ & Pſeudopropheta prodierunt, abire ad Reges terræ*, & TOTIVS MVNDI ſcribit in Apocalypſ. decimoſexto, verſu decimoquarto. *Vt ipſi vnum ſentiant, denique regnum ſuum Beſtiæ, & exequantur ſententiam eius ad oppugnandum Agnum*, capite decimoſeptimo, verſu decimotertio, decimoquarto, decimoſeptimo, & capite decimotertio, verſu tertio, idem dicit, quod *Admirans* VNIVERSA TERRA *ſecuta eſt Beſtiam*. Illorum enim Angelorum, qui cum Dracone illo magno in terram proiecti ſunt, inſtitutum non eſt ſingulare vel particulare; eſt Catholicum & vniuerſale. An non igitur Ieſuitæ iure Catholici ſibi ipſis titulum vendicent; & Romani; quum Catholici ambo qui Imperii Romani renouatores ſint?

benè explicent, & ſuppleant, ſi quid intellexerint, quod ſuperiores minus declarauerint; & in vniuerſum ita ſcribere debent, VT GENERALIS OMNIVM PERSONARVM AC PROVINCIARVM STATVM, QVOAD EIVS FIERI POSSIT, ANTE OCVLOS HABEAT. Neque hæc minus, quàm anteriora, vt veſtra, Becane, approbabis. In quem finem Ieſuitæ Cancellariam [a] Regni Bohemiæ ſolis ſuis Diſcipulis repleuerunt. Sicut & Ieſuitæ Galli in Regni, & Regiæ Domus officia nullos, niſi ſuæ diſciplinæ nutricios ſummittere nituntur. Neminem itaque in dubium vocaturum, id eſſe ſecreta Regum & Principum explorare, & communi omnium hoſti Antichriſto, veteri renouato Orbis Raptori, nunciare & pandere, Batauus exiſtimat; ac ne Ieſuitam quidem, niſi intellectu & iudicio priuatum, & per cæcam Antichriſti obedientiam penitus excæcatum, & impudentem cauillatorem agere velit, id negare poſſe arbitratur. Neque hîc, Becane, Ieſuitæ veſtri elabentur, tanquam, ſi ſpiritualia tantum tractarent, cum *ex ore illius emittantur. qui ad rerum temporalium faſtigium contendit.*

[a] Vide Grauamina Ordinum Euangelicorũ Bohemiæ, 24 Iulii, 1609. exhibita.

Nam definitoribus Iuriſperitis, & veſtris [e] Canoniſtis, *P*roditor is eſt, qui ſecreta alicuius *P*rincipis alteri prodit, & reuelat, vti qui mittunt litteras, vel nuncios ad hoſtes. [f] *P*roditor etiam is eſt, qui ſcit, & non reuelat, qualis Garnetus veſter fuit in Britannia, quem vos tamen in numerum Sanctorum Martyrum cooptaſtis. [g] Vel ergo *P*ontifici veſtro, vel Regibus Chriſtianis proditores eſtis. Et illi *P*roditorum numero habentur, qui ſimulantes, & ſecreto *P*rincipi damnum afferunt. [h] *P*roditores & illi dicuntur, qui cum aliquo amicitiam ſimulantes, hoſtibus conſilia produnt. Quod Græci τὸ διαφρυκτορεῖν prouerbialiter dicebant, quod in omnes eos quadrat, qui hoſtis publici rebus plus ſtudent, quam *P*rincipis ſui commodis, vel amicorum conſilia corrumpunt, quò illis noceant, vel ea ſuadent, per quæ fortunas omnes & opes amicorum funditus euertant. Quam artem vos improbi maximè calletis. Deniq; & illi *P*roditores ſunt, qui detrahunt honori & famæ [i] Domini ſui. Iam vt ſuprà oſtenſum eſt, vos Ieſuitæ ſecreta Regum, non modò Euangelicorum, ſed & ipſorum Imperatorum, Regum & *P*rincipum *P*ontificio-

ficio-

[e] De Pœnit. Diſtin. VI. Can. Sacerdos, de Pœna & Remiſſ. Cano. omnis Cardinal. in Clem. 1. §. quia rer. de Statu Monach.

[f] Bartolus in leg. vltima, D. ad legem Iuliam Maieſt.

[g] L. Quiſquis, Cod. ad Leg. Iul. Maieſt.

[h] L. omne delictum, §. exploratores, D. de re milit.

[i] Iohannes Andr. in capite primo de feudis, & Bald. in capite 1. de impr. columna 6. verſ. quid de rebus, in titulo, quibus modis feudum amittatur.

ficiorũ, Generali veſtro, & Generalis veſter ipſi Pontifici, vniuerſali Orbis & Imperii Raptori, ſingulis menſibus ad minus pandere, conſtitutionibus veſtris obſtricti eſtis. Quòd etiam honori & famæ Regum & Principum Catholicorum, imò & benefactorum veſtrorum ingratiſſimi detrahatis, recens Henrici IV. Galliarum & Nauarræ Regis oſtendit exemplum. Is enim, etſi, cum vix parricidiales Ieſuitarum manus euaſiſſet, iure & iudicio legitimo Regnis ſuis in æternum vos proſcripſerat; vos tamen, vt deinceps à veneficiis & ſicis veſtris tutus eſſet, incredibili clementiâ in priſtinum ſtatum reſtituit. In cuius beneficii compenſationem vos eum præcipuâ honoris dignitate expoliatis: ſicuti id apud varios Scriptores, ſed maximè apud Richeomum veſtrum euidentiſſimè videre eſt. Hunc auguſtiſſimum [a] Principem, poſtquam lenociniis veneficiorumque & ſicarum veſtrarum terrore in retia venatoris Romani cõpuliſtis, ipſeq; vos maioribus beneficiis, opibus & prærogatiuis cumulauit, quàm ab vllo Regum in vniuerſo terrarum orbe hactenus factum eſt, ad perpetuam turpiſſimæ veſtræ ingratitudinis memoriam, eum antiquiſſimo iure & honore denudatis, nimirum Eccleſiæ Primogenituiâ, quam ipſi raptam vel fraude ſubductam Hiſpaniarum Regi vendidiſtis, EVM [b] QVASI NATV

[a] Ieſuitarũ in Henricũ IV. Galliæ & Nauarræ Regem benefactorẽ ſuum intoleranda ingratitudo.

[b] Sic Spiritus Sanctus

appellat TANQVAM REGES, *qui poteſtatem cum Beſtia vnam horã, id eſt, aliquo momento accipiunt.* Apocal. 17. verſ. 12. *Hi vnum conſilium habent, & vires ac poteſtatem ſuam Beſtiæ tradent, eius ſententiam exequentur, & cum Agno pugnabunt.* verſ. 13. 17. & 14. alii clandeſtinis machinationibus, alii aperto Marte vel vtroq; modo.

PRIMVM DILIGI cap. Expoſt. Apolog. 17. & 19. cap. FILIVM ECCLESIÆ QVASI NATV MAXIMVM per vniuerſum orbem proclamantes. Ita cum Benefactorum veſtrorum honori & vitæ inſidiemini, Pater Becane, quid Antichriſti & Antichriſtianorum hoſtes à proditoribus talibus timendum non habent? Regum & Principum etiam Catholico-Romanorum proditores vos eſſe, ſatis tibi nunc Batauus oſtendit.

[a] Alterum nunc probabit, nimirum Ieſuitas Regum & Principum perduelles, parricidas, incendiarios & veneficos eſſe, eoſque peſſimos ac maximos: cumque proditionis crimini illa omnia vicina ſint, citra magnum negotium ea probari poterunt. Primò, cum, vti ſuprà oſtenſum eſt, Ieſuitæ Antichriſti, Rebellium Principis, præcipua corporis [b] pars ſint, an non ex vi Argumenti à toto ad Partes, poſitionis veritas conſequitur? Item Conſtitutione Ludouici Bauari Imperatoris ſtatutum reperitur, quòd, *quicunque* [c] *diceret Impe-*

a Ieſuitas Rebelles & Rebellionum popularium in Reges & Principes præcipuos autores, item Regum & Principum parricidas, incendiarios & veneficos eſſe, demonſtratur.

b A Pontificis cum Ieſuitis vnione.

c Vide Albericum, qui hanc Conſtitutionem deſcripſit, & multis rationibus confirmat.

Imperium dependere à Papa, reus eſſet criminis læſæ Maieſtatis. Atqui Ieſuitæ non tantum Imperia & Regna, ſed etiam ipſos Imperatores, Reges & Principes à Pontifice dependere ſcribunt & docent: Ergò illi Rebelles & læſæ Maieſtatis rei ſunt. Deinde omnes *illi* [a] *& ſinguli Imperiis, Regnis, Principatibus ſunt Rebelles* & Infideles qui *quomodocunque publicè, vel occultè contra* [b] *Imperium, honorem, & fidelitatem Imperatoris, Regis, Principis & ſupremi Magiſtratus, rebellionis opera faciunt, contraque proſperitatem cuiusque eorum aliquid machinantur, contrave illos ipſos, ſeu officiales ipſorum, in iis, quæ ad commiſſum ipſis officium pertinent, rebellant.* Quam Conſtitutionem Statutum x x v. Eduardi III. Angliæ Regis optimè videtur interpretari; nimirum *ſi Regni Cancellarium, Theſaurarium, Iuſtitiarios cuiuscunque Tribunalis vel Aſſiſæ, vel Iudicem quemcunque, dum pro Tribunali ſedent, & ſui officii munere funguntur, interficiunt, quandoquidem quilibet Iudex pro Tribunali Regio ſedens, Regis Maieſtatem & perſonam repræſentat.* Quantò magis ſi conſiliarios & Ordines Regni in Parlamento congregatos interficere tentant? Vti à Ieſauitis veſtris non ita pridem in Angliа tétatũ fuit. Nec facit hîc, quòd Ieſuitæ ſe nulli

[a] A Rebellionis Definitione.

[b] In Extrauag. qui ſint Rebelles.

Regum aut Principum vllo ſubiectionis iuramento dicant obſtrictos: ſufficit enim eos alicuius Regis aut Principis Originarios ſubditos eſſe, & ipſos Pontifici, homini Peregrino (quicunq; ille ſit) Septimo vrbis Regi, & vniuerſi orbis raptori, cæco voto & obedientiâ ad iuſſa quæuis, aduerſus quoſuis, etiam ſuos legitimos Reges & Principes exequenda eſſe obſtrictos. Sufficit etiam delictũ in loco aut Regno commiſſum eſſe. Hoc enim ſolo vt Perduelles meritò, læſæq; Maieſtatis rei, iuſtiſſimis pœnis plectendi ſunt. Minor, quantum ad voti veritatem, ſuperius ſatis ſuperq; probata eſt; cum à generali cæcæ veſtræ & bacularis obedientiæ & communis coniurationis voto neque populus, neq; Senatus, neq; Princeps, neq; Rex, neque ipſe quidem Imperator excipiatur; ſed coniuratio illa veſtra in omnes, qui ad nutum Pontificis non flectuntur, maximè autem in Reges & Principes, ſimul facta ſit. Nec eo contenti ſunt Ieſuitæ, quòd ipſi perduelles & parricidæ ſint: Nam & hanc impiam veſtram & parricidialem coniurationem innocuæ pueritiæ, adoleſcentiæ, iuuentuti, aliiſque ſuperſtitione veſtrâ occæcatis, velut Sanctimoniæ veſtræ principia, infunditis, laudatis & commendatis.

Rebellionis, Parricidiorum &

Sed ne Reges, Principes & populi Chriſtiani à ſingulorum tantum temeritate (vt vos

vos præuaricando, ad cæteros à pœna liberandos, perſuadere illis conamini) parricidia & Rebelliones veſtras prouenire putent, ipſis conſtitutionum veſtrarum apertiſſimis teſtimoniis, & communibus ſcriptis veſtris publicis Batauus oſtendet, illa, omnibus exactè expenſis, communi veſtrorum conſilio & perpetuo propoſito velut Principia quædam & præcipua ad inſtitutum Monarchiæ Pontificis promouendum præcepta adinuenta, præmiaq; ad animos hominum in eiuſmodi ſcelera excitāda & exequenda inſtigandos per vos conſtituta eſſe: Deniq; vos ipſos factis veſtris, iisq; atrociſſimis atque euidentiſſimis, vbi & quocunque tempore id Ioui veſtro Capitolino acceptum fore viri Graues & Eruditi exiſtimant, illeque id vel nutu ſolo indicet, cæcâ obedientiâ quàm promptiſſimè comprobare paratos fuiſſe, & etiam nunc eſſe. Primùm tibi notum eſt, Becane, ſingulis motu animi proprio aliquid tentare, ſub pœnâ inobedientiæ prohibitum eſſe. *Vnusquisq;*, inquit Conſtitutio, [a] *plenam in his ac liberam ſui diſpoſitionem ſuperiori, qui eum Chriſti loco dirigit, relinquat.* Sed clarius hoc declarat Conſtitutio 3. quæ extat in capite 21. lib. 3. De vita Ignatii Loiolæ, cuius verba talia ſunt: *Et ne quis vtatur zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, proprii cuiusq; gradus indicium, & munerum ſortitio & diſtributio tota ſit*

veneficiorũ Ieſuiticorum doctrinā vniuerſo Ieſuitarũ ordini cōmunē eſſe, non vnius alicuius Ieſuitæ opinionem.

[a] Part. 9. c. 2. §. 1.

in poteſtate Generalis aut Prælati, qui quocū-que tempore eligetur per nos, aut per ipſos, qui cum hac authoritate ſubſtituemus. [a] Denique cum inter Pontificem velut caput vniuerſale, Generalem Ordinis & ipſos Ieſuitas æquè arcta ſit coniunctio, qualis inter caput & cætera membra eſt, abſurdiſſimum equidem fuerit, adſcribere aliquid dexteræ, quòd à mente & intellectu primum ſuum motum habere negare vellemus. Quod & vos expreſsè Regulâ vnionis & Conformitatis mutuæ probatis, cum nulli veſtrûm vel ſcripto vel verbo vel facto quid in publicum proferre liceat, quod non antè legitimè approbatum fuerit. An ergò Regum parricidia, Regnorum euerſiones, & ſi quid grauius aut magis Heroicum, vt vos appellatis, reperiri poſſit, vnius præpoſtero, intempeſtiuo & inconſulto iudicio permiſeritis? minimè. Sic enim ſtatutum loquitur; *Idem ſapiamus, idem quoad eius fieri poſſit dicamus omnes, iuxta Apoſtolum. Doctrinæ igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus vel lectionibus publicis, nec ſcriptis libris, (qui quidem edi non poterunt in lucem ſine approbatione atque conſenſu Præpoſiti Generalis) immò & iudiciorum de rebus agendis diuerſitas, quæ mater ſolet eſſe diſcordiæ, & inimica vnionis voluntatum, quantum fieri poteſt, euitari debet. Vnio verò*

[a] Hi haud dubiè iſti viri eruditi & graues ſunt, quorū iudicio Reges & Principes, velut tyranni, Sicariorum veſtrorum parricidiis abdicātur.

Part. 3. cap. 1. §. 18.

ſit conformitas mutua diligentiſſimè curanda eſt, nec quæ ei aduerſantur, permittenda, &c. Hinc vident Reges & Principes, veneficia, parricidia & incendia veſtra non à propriis ſingulorum animi motibus, vt delicta maleficorum procedere, ſicuti vos id fraudium & ſcelerum veſtrorum imperitis perſuadere conamini: ſed ab vnanimi totius progeniei veſtræ decreto, & ab ipſius ſuperioris voluntate & iudicio, cui motus animi proprios & cogitationes aperire debetis; ſic vt vnius criminis omnes rei ſitis, Pontifex autem, velut caput omnium, præcipuè. Sicuti etiam Bullam de Cœna Domini & Pontificum Breuia pro Bali veſtiarum actionum ſumitis cooperantes in ſpiritu. Niſi fortè Regum & Principum parricidia, Regnorumq; & Rerumpub. euerſiones, more veſtro inter Peccatilia, Becane, referre velis, quę cuiusq; arbitrio & voluntati relicta ſint. Hæc eadem peſtifera hæreſis cum Pontificũ turbulẽtorum Canonib. circa annum 1416. ita increbuiſſet, & priuati Reges & Principes Hæreticos, velut Tyrãnos, occidere impunè aggrederentur: *Sancta quidem Conſtantienſis* [a] *Synodus* inquit author, *aduerſus hunc errorem ſatagens inſurgere & ipſum funditus tollere, decreuerat & definiuerat huiusmodi doctrinam erroneam eſſe in Fide, & in moribus ipſamque tanquam ſcandaloſam, & ad fraudes, deceptiones,* [b] *mendacia, proditiones, periuria vias dantem reprobauerat & co-*

[a] Synodus Conſtantienſis Regũ & Principũ, Parricidia prohibuit.
[b] Gerſon. Tom. 1. in Propoſ. in Concil. Cõſtant. ex parte Regis Franciæ facta.

demnauerat. Sicuti etiam Gerſonius Cance-
larius Vniuerſitatis Pariſienſis doctrinam
illam *Hæreticalem & ſacrilegam* eſſe ſcri-
pſit.

[a] Pſal. 26. v. 9. & 10.
[b] Notati enim Antichriſtiani in dextera.

At veſtri Patres, Becane, *Viri* [a] illi *ſangui-
narii, quorum in manibus* [b] *ſcelus eſt*, diligen-
tiſſimi, inquam, illi antemalorum renoua-
tores, Diuina & moralia præcepta & Patr-
Concilia ſuperbè conculcantes, veterem
illam *Hæreticalem & ſacrilegam doctrinam*
plus ſeculo integro obliuione ſepultam, e
abyſſo ſecum, vt plura nefanda, non ita pri-
dem rurſus, ad Pontificum tyrannidem ſo-
ſtinanter promouendam, in vſum publi-
cum produxerunt.

Andreas Philopater, aliâs Creſwel in Re-
ſponſione ad Edictum Elizabethæ, ſectio-
ne 2. num. 162. pag. 153. *Certè*, ait, *non tantùm
licet, ſed ſumma etiam iuris Diuini neceſſitate
præcepto, imò etiam conſcientiæ arctiſſimo vin-
culo, & extremo animarum ſuarum periculo
diſcrimine Chriſtianis omnibus hoc ſolùm in-
cumbit, ob Hæreſis manifeſtum crimen Princi-
pes deturbare, vel obſiſtere ne admittantur, ſi præ-
ſtare poſſunt.* Franciſcus Verona Conſtan-

[c] Part. 2. cap. 2.

tinus in ſua [c] Apologia pro Iohanne Caſte-
lo pluribus docet, *quòd non obſtante decre-
ſupradicti Concilii Conſtantienſis Priuatis
ſingulis licitum ſit, Reges & Principes hæreſeos
Tyrannidis damnatos occidere*; Probat Iacob
Clementis parricidium in Henricum II

Galli

Galliæ & Poloniæ Regem perpetratum, *quaſi contra hoſtem publicum & iuridicè condemnatum*; Laudat factum dicti Iohannis [a] Chaſtelli *tãquam Heroicum, quodq; vulnerãdo* [b] *Henricum Bourbonium*, *non voluerit lædere aut occidere* [c] *Regem, etſi talem ſe dicebat, & in quo præter Regis imaginem nihil Regii, quam quòd genere Regio ortus erat*; & illis longè impudentiora. Addens tertio capite, dictum *Henricum Bourbonium ne quidem à*

[a] Part. 2. c. 1.
[b] Cap. 3.
[c] Hic notãdum eſt, Ieſuitas, cũ Reges & Principes Euangelicos, imò & Pontificios eorum fautores, & ſedi Romanæ minus obedientes occidunt, negare, ſe Reges aut Principes occidere: quare? quia eos non vt Reges & Principes, ſed vt Hereticos Hæreticorumque fautores & Tyrannos occidunt. Non enim in eodem ſubiecto eſſe poſſe, aiunt, Regnum, Hæreſin & Tyrannidem. Hac arte Richeomus in ſua Expoſtulatione Apologetica pro ſocietate Ieſuitarũ Hẽrico IV. Galliarum Regi potentiſſimo illudit, dum æquiuocando impudenter affirmat, *ſe nunquam audiuiſſe, poſtremò defunctum Henricum Regem à quoquam ſuorum hominum Tyrannum eſſe nominatum*. Cap 21. *Non enim poſtremò defunctum Henricum* REGEM, ſed benè poſtremò occiſum Henricum Valeſiũ Tyrãnum, & quidem ſæpiſſimè, audiuit nominari: cùm hoc & pro concione vbique inter ſancti fœderis ſocios, & quàm plurimis libellis editis factitatum ſit. Dicunt enim quòd Henricus tertius *& Rex & Tyrannus appellari ſimul nequiuerit*: Eadem fraude S. veſter Garnetus illuſtriſſimo comiti Saliſburgenſi, petenti, vt, quid de excommunicatione Regis ſentiret, ſine æquiuocatione proderet, illuſit, dicens Regem Iacobum nondum excommunicatum eſſe. Nam Iacobum Scoattum excommunicatum animo ſentiebat in Act. in Proditores fol. 107. Simili æquiuocandi arte vtitur Tortuoſus Bellarminus, dum negat Sixtum V. Pontificem imperaſſe eundem Henricum III. REGEM cædi. Reſponſ. ad Apolog. Pro Iuramento fidelitatis fol. 85. Non enim Pontifices imperant occidi REGES, ſed Tyrannos tantum, id eſt,

ſuo ad cultum Romanum reditu [b] *Regem iure nominari poſſe, neque etiam licet à Pontifice abſolutus eſſet.* [c] Capite vndecimo, poſtquam ſingularibus exemplis, Regum infidelium & tyrannorum parricidia iure Diuino licita eſſe, ſibi videtur docuiſſe, ita dicit: *Etiamſi in genere prohibitum ſit occidere, ideò tamē id non minus permiſſum eſt in certis perſonis, & in duab. inter cæteras, in iis qui ſunt Hæretici & Tyranni. & magis adhuc quādo vnus & idē Hæreticus & Tyrannus eſt.* Quodq; *Hæretici tātùm etiā à priuatis perſonis licitè occidi poſſint. ſi aliter fieri nequeat;* quod integro c. 12. conatur demóſtrare. Sicuti etiā actū illum Ioh. Caſtelli *& in ſubſtantia & in confeſſione Heroicū eſſe,* c. 1. & 2. tertiæ partis, multis ꝓbare conatur. Sixtus V. exhibitis 2. Septēb. An. 1589. lætitiis & ſolennib. publicis, parricidiū Hērici III. laudauit, tanquā ſingulari Dei prouidentiâ factum. Iacobitâ in numerū Diuorum relato. Veſter Mariana [d] dicit, eundē parricidā *ingēs ſibi nomē feciſſe, cæſo illo Rege.* Et paulò pòſt; [e] *Ab omni memoria conſideramus, in magna laude fuiſſe, quicunq; tyrannos opprimere aggreſſi ſunt.* Sed & ipſos Ieſuitas Iudices Regum & Principum conſtituitis, an ſc. ipſi Tyrāni vel Hæretici ſint vel nō, illosq; à Parricidis ante executionem in conſilium adhibēdos, Mariana docet; *Hæc, ait, noſtra ſententia eſt à ſincero animo profecta, ſi publici conuentus facultas ſublata, Princeps autem Sacra Patria* (id eſt, cultum

eos, qui dicto ſuo minus ſunt audiētes. Hoc enim decretum Pontificum Axioma indubitatum eſſe, ipſus ille Tortuoſus multis locis tradit: vti etiam conſtitutiſſimi apud eosdem iuris eſt, omnes Reges & Principes Euāgelicos imò & quoſdam Pontificios minus dicto ſuo parentes ipſi, nec Reges nec Principes eſſe, ſed Tyrannos.

b Cap. 4.
c Cap. 8.
d Lib. ſuo de Rege. pag. 54.
e Pag. 57.

cultum Romanum) *abiiciat, & externa auxilia in Prouinciam attrahat, tum viri Eruditi & Graues* [a] (id eſt Ieſuitæ) *in conſilium adhibeantur; vt cognito ab his, talem vti Tyrannum iure interimi poſſe: qui votis publicis fauens eum perimere tentarit, haudquaquam ipſum iniquè feciſſe exiſtimabo, neceſſe publicam vocem populi neceſſariam: ſatis eſſe, viros Eruditos & Graues in conſilium adhiberi. Præclarè* [b] deinceps inquit, *cum rebus humanis ageretur, ſi multi homines tam forti pectore inuenirentur, pro libertate patriæ vitæ contemptores & ſalutis; ſi huiuſmodi poſt deſignatum facinus euaſerint, inſtar Heroum in omni vita ſuſpiciuntur. ſi ſecus accidat, grata ſuperis, grata hominibus hoſtia cadunt, nobili conatu ad omnē poſteritatis memoriam illuſtrati.* An non impletum, quod Æternus ille Vates de ſuorum martyrio prædixit? nimirum, *Veniet tempus, cum aliquis trucidabit vos, putabit ſe cultum præſtare Deo?* Imò integri præterea libri editi, quibus Gallici populi inſtigantur ad Henricum Borbonium, Nauarræ Regem quacunq; viâ vel modo è medio tollendum.[c] Neq; furorem hunc tantum Ieſuitas Gallos inualiſſe vides, Becane, ſed omnes eos, qui proditionum & Rebellionū monita è veſtra diſciplina hauſerunt. Sed quid opus rei notiſſimæ tantū immorari? Cāpianus veſter In Epiſtola ſua ad Cōſiliarios Reginæ Angliæ, Treueris An. 1583

F 2

[a] Hæc infra exemplis aliiſque probationibus oſtēdentur.

[b] Pag 60.

[c] Libri 4. de Iuſt. Henrici III. abdicatione. Guilhelmi Roſſæi, de iuſta Reipub. Chriſtianæ in Reges impios & Hæreticos Authoritate, iuſtiſſimaque Catholicor. cōfœderatione ad repellēdum Henricū Nauar. à Regno.

excuſâ,pag.22.fatetur, omnes Ieſuitas in vniuerſo terrarum orbe fœdus ad Reges Hæreticos quouis modo tollendos iampridem iniiſſe. *Quod ad ſocietatem noſtrā attinet,* inquit, *velim ſcias, omnes nos, qui ſumus de ſocietate Ieſu, per totum terrarum orbem longe lateq; diffuſi, ſanctum fœdus iniiſſe, veſtras machinationes facilè ſuperaturos, neq; vnquam deſperaturos; quam diu vel vnus quiſpiam è nobis ſuperſuerit.* Idem Philopater monet diligentiſſimè, *ita informandos Catholicos, vt oblata cædis occaſione, nullo impedimento ſe dimoueri patiantur.*

Verùm Ieſuitis veſtris non ſufficit, iſtiuſmodi peſtiferis præceptis teneras hominū mentes inficere, ſed & media, quibus illa in vſum commodè redigi poſſint, ſcelerum criminumq; doctores ſuggerunt. Sic Mariāna in Cap.7.d.lib. *An facultas ſit ſicut armis, ſic veneno & herbis lethalibus tyrannum occidere?* [a] Quam quæſtionem licet in vtramque partem diſcutiat, addit tamen, *Quid intereſt ferro an veneno perimas? Et ſi occaſio opportuna offeratur, quis erit tam acuto* [b] *ingenio tā perſpicaci, vt inter vtrumq; genus mortis diſcrepare contēdat?* concludendo tandē dicit: *Hoc temperamento vti in hac diſputatione licebit, ſi non ipſe, qui perimitur, haurire cogitur quo intimis medullis concepto pereat: ſed exterius*

[a] Ieſuitæ venefici, & veneficiorū Doctores.

[b] Nō enim acuto ingenio Ieſuitæ ſuperiorum mandata inquirere, ſed vt Baculi & cadauera, cæcâ obedientiâ, in Regum & Principum legitimorum necem ad nutum ſuperioris ferri debent.

terius ab alio adhibeatur, nihil adiunante eo, qui perimendus eſt: nimirùm cum tanta vis eſt veneni. vt ſella eo aut veſte delibuta, vim interficiendi habeat. [a] *Qua arte à Mauris Regibus inuenio,* inquit veneficii Doctor, *ſapè alios Principes miſſis donis, veſte precioſa, linteis, armis ephippiis fuiſſe oppreſſos. Tyrannos metuere ciues etiam ferentes dona debet: in eius vitam graſſari quacunq; arte conceſſum.* Hîc habes ex parte, Becane, tuorum Ieſuitarum de Regibus & Principibus Euangelicis (qui à vobis *tyranni* nuncupātur) quacunque arte è medio tollendis ſententias. Concludens Mariana dicit, *Arte* [b] *potius quàm Marte id tentandum, quia ita minore periculo & maiore ſpe impunitatis fieri poſſit.* Quod conſilium Ieſuitæ Anglicani licèt aliquoties venenis ſulphureis ſuis cuniculis, aliiſque inſidiis ſecuti ſint, iuſto tamen Dei iudicio (qui Regum legitimorum Protector, & Proditorum ſeuerus vltor eſt) accidit, vt Parricidæ in foueam, quam aliis f[o]derant inciderint. Nec ab hoc propoſito Robertus [c] Bellar. vos vel ipſa iuriſiurandi religione (tam conſtantes vos in Regum parricidiis perpetrandis eſſe, videtur dicere) dimoueri poſſe credit: *Qui enim non timent,* inquit, *tam atrox parricidium perpetrare, neque timebunt iuriſiurandi Religionem contemnere.* Vnde etiam *ad conſpirationes eiuſmodi præcauendas parum præſidii in iuramentis poſitum eſſe* tradit. Vides er-

[a] Euangelici, qui a Ieſuitis & ſimilibus peiores Turcis & Tyrānis iudicātur, debent ſibi ab illorum donis quàm diligentiſſimè cauere. Hoſtium enim Beneficia, veneficia.

[b] Inter artes, quibus Ieſuitæ reges, Principes & ordines tollendos eſſe docent, computandi ſunt Ignes & cuniculi ſulphurei.

[c] Tort. d.li. fol. 21.

go, Becane, vos veſtrismet ipſorum ſcri-
ptis de criminibus vobis impoſitis conui-
ctos eſſe, ſed quod vos velut peſtilentiſſi-
mæ illius doctrinæ authores & Doctores,
ſecundum Concilium Conſtantienſe vel-
ut Hæretici, Regnorum & Principatuum
Proditores, perturbatores & euerſores,
item Regum & Principum parricidæ, ve-
nefici & incendiarii, damnati, & omnibus
Regnis & Principatibus expellendi ſitis,
Batauus tibi, Becane, pluribus teſtimo-
niis, non è vulgo, aut à calumniarum arte,
vt vobis moris eſt, petitis, ſed omni exce-
ptione maioribus, id eſt, ex actis ſolennibus
& publicis, tam Theologorum Pōtificio-
rum, quàm Regum, Parlamentorum, atq;
aliorum probabit.

Inprimis autem, vt ſciatur, quo loco Ie-
ſuitæ iampridē in Galliæ Regno habiti ſint,
ſciendum eſt, cum an. 1550. literas ſuas præ-
ſente Cardinale [c] Lotharingico ſignatas, ac
in id, quòd in Hiſpania recepti eſſent, fun-
datas in curia exhibuiſſēt: iſtæ literæ purè &
ſimpliciter per Parlamēti Senatum duob. ſe-
meſtrib. cōgregatis, repudiatæ fuerunt. Et
interiectis annis quatuor, Ieſuitis per im-
portunitatē ſecundò inſtantibus, Parlamēti
Senatus à Sorbonenſi Collegio conſilium
requiſiuit; quod habito quatuor diuerſis
dieb. conuentu ipſos pro iis, qui tam ſtatui
Regni, quàm Religioni infeſtiſſimi ac per-
nicio-

[c] Parlamētum Pariſienſe Ieſuitas reiicit.

picioſiſſimi ſunt,& infinitas inter Galliæ populos querelas, diſcordias ac diſſenſiones excitant, agnouit ac iudicauit. Ac ne vlli quidquā aliundè adiectū videatur, en propria Decreti Sorboniani verba; quod paucis mala illa, quæ noua ac periculoſa hæc ſecta bonis omnibus incuſſit, deſcribit.

[a] Sorboniani Collegii de Ieſuitis iudicium.

Hæc [a] *noua Societas inſolitam nominis Ieſu appellationem peculiariter ſibi vindicans, tam licenter & ſine delectu quaslibet perſonas, quantumlibet facinoroſas, illegitimas & infames admittens, nullam à ſecularibus Sacerdotibus habens differentiam, in habitu exteriori, in tonſurâ, in horis canonicis priuatim dicendis, aut publicè in templo decantandis, in clauſtris & ſilentio, in delectu ciborum & dierum, in ieiuniis, & aliis variis legibus ac ceremoniis (quibus ſtatus Religionum diſtinguuntur & conſeruantur) tam multis tamque variis priuilegiis, indultis & libertatibus donata, præſertim in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ & Euchariſtiæ, idque ſine diſcrimine locorum, aut perſonarum, in officio etiam prædicandi, legendi & docendi, in præiudicium Ordinariorum, imò etiam Principum & Dominorum Temporalium, contra Priuilegia Vniuerſitatum in magnum populi grauamē, Religionis monaſticæ honeſtatem violare videtur, ſtudioſum, pium & neceſſarium virtutū abſtinētiarum, ceremoniarum & auſteritatis enervat exercitiū, imò occaſionē dat liberè apoſtatādi*

ab aliis Religionibus: debitam ordinariis obedientiam & ſubiectionem ſubſtrahit, Dominos tā temporales quam Eccleſiaſticos ſuis iuribus iniuſte priuat. perturbationē in vtraq; Politia, MVLTAS IN POPVLO QVERELAS, MVLTAS LITES, DISCORDIAS, CONTENTIONES, ÆMVLATIONES, REBELLIONES, VARIAQVE SCHISMATA INDVCIT. Itaq; his omnibus diligēter examinatis & perpenſis, hæc ſocietas videtur in negotio Fidei periculoſa, Pacis Eccleſiæ perturbatiua, Monaſticæ Religionis euerſiua, ET MAGIS IN DESTRVCTIONEM QVAM IN ÆDIFICATIONEM.

ILLIS ADDATVR, RESOLVTIO Vniuerſitatis Pariſienſis ſolenniter & legitimè congregatæ 18. Aprilis 1594. ad petendum, vt Ieſuitæ vndiq; expellerentur.

Vniuerſitatis Pariſienſis de Ieſuitis iudiciū.

ANno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto die Lunæ decima octaua menſis Aprilis: conuocata Vniuerſitas omnium ordinum huiuſce incliti ſtudii Pariſienſis apud ædem Sancti Mathurini, pro ſupplicatione peragenda ab Academia ad ædē ſanctæ capellæ Regalis palatii Pariſienſis, ad reddendas gratias altiſſimo Deo pro reductione felici huiuſce almæ vrbis,

urbis proſperitate & feliciſſimo ſucceſſu Christianiſſimi & inuictiſſimi Domini nostri Henrici IV. Regis Francorum & Nauarræ, conſeruatione dictæ urbis ſub ditione & protectione dicti Domini nostri Regis, ac pro quam plurimis aliis rebus ad Academiam ſpectantibus, atque ſuper ſupplicatione facta à D. & Magiſtro Laurentio Bourceret artium Doctore de vocandis in ius Ieſuitis, ut omninò eiciantur.

Dicta Vniuerſitas debitè, ut moris est, horâ ſolitâ conuocata, ex conſenſu unanimi omnium Doctorum & Magiſtrorum ſingularum quatuor facultatum, & quatuor Procuratorum nationum, nemine repugnante cenſuit & determinauit, eſſe annuendum ſupplicationi dicti D. Bourcereti, ideoque in iudicium & ius ritè & conuenienter Ieſuitas vocandos, ut eiiciantur omninò. Eamobrē cenſuit Vniuerſitas, ex ſingulis Ordinibus nominandos aliquot ſelectos viros, qui ea diligenter curent, quæ ad litem contra Ieſuitas mouendam pertinent. Vnde facultas Theologorum nominauit D. Magiſtrum Adrianum d'Amboiſe ſummum regiæ Nauarræ moderatorem, & alium Doctorem, quem dictus D. Amboiſus voluerit eligere. Facultas Decretorum, quæ acta ſunt, approbauit: & quia unicus tantum Doctor nomine Dauid Sonius aderat, promiſit, ſe nominaturum aliquem alium ex ſuis Doctoribus. Facultas autem medicorum ordinauit D. & magiſtrum Iacobum Couſinotum. Postremò facultas artium nominauit dictum

magiſtrum Laurentium Bourceretum, & D. G
orgium Critonium, ſicq; ſtatutum fuit vnani
ter & concluſum nemine reclamante, per D. I
cobum Amboiſium Academiæ Rectorem,
tamq; Academiam, anno & die præfatis. Sign
tum DVVAL. Et à latere, viſa per nos Re
rem Iacobum Amboiſium, & ſigillatum
rubra.

Et cum illis omnibus inconcuſſi, ſ
prætextu pietatis & deuotionis, Ieſuitæ fu
damenta Status pedetentim ſuffoderen
populumque ab obedientia naturali Re
ſuo debita nihilominus abducerent, c
ſubditorum ipſi ſuffurantes, ac in præd
ſummo & periculoſiſſimo Galliæ hoſtie
ponentes, qui per eius deſtructionem æ
ficabat, & velut crudeliſſimus Python lib
ros ſuos deuorare tentabat: artibus tam
quorundam maleferiatorum hominum
ficiebatur, vt iſtarum Harpyiarum ex Vn
uerſitate expulſio vlterius, quam boni ſp
rabant, d fferretur. Quam moram cu
vniuerſitas ſibi, atque adeo vniuerſæ Ga
licæ iuuentuti pernicioſiſſimam videre
Iohanni Paſſeratio, Regio Eloquẽtiæ Pr
feſſori diſertiſſimo iniunxit, vt eandem e
pulſionem, quantum in ſe eſſet, promou
ret: Qui oratione publicè, à rebelli
nibus veſtris aliquo modo ſopitis, habit
inter cætera remedia reſtaurandæ almę P
riſienſis Vniuerſitatis, corruptorum Iuue
tu

[...]ntis expulſionem velut primarium remedium commendauit, his verbis:

Luſtranda igitur & expianda nunc Academia, Muſisque iterum dedicanda, diligenti cautione adhibita, ne amplius earum templa & ceremoniæ contaminentur. Id vt rectè fiat atque ordine, abigendæ ſunt inprimis obſcœnæ volucres, (Ieſuitæ) *quæ rapinis contactuq; omnia fœdant immundo:*

Iohannis Paſſeratii, viri clariſſimi de Ieſuitis iudiciũ.

Decolor eſt illis vultus, teterrima ventris
Proluuies, vncæq; manus, & pallida ſemper
Ora fame,———

Non agnoſcitis volucres: agnoſcite ſine plumis bipedes:

Curua quib. pullam ſubnectit fibula veſtẽ.

Has Harpyias niſi Senatus & ampliſſimi, ornatiſſimiq; viri, quibus Academiæ, ſcholæque Regiæ inſtaurandæ tradita eſt Prouincia, fugarint & exterminarint, vt pinnati Aquilonis filii in fabulis, fruſtrà littoralibus Diis vota nuncupabimus: rurſus ad eos ſcopulos, ad quos nuper eſt fermè adflicta, nauis noſtra referetur. Nequicquam in excolendo Muſarum fundo ſudabimus: nequicquam lolium, carduos, lappas, & tribulos extirpabimus, niſi ex agro noſtro hæc filix radicitus euellitur. Meminiſſe debemus, quonam pacto profugi homines, nec minus vagi quàm Scythæ, nouâ gratuitæ doctrinæ profeſſione vulgo commendati, huc irrepſerint, & ἀέκητι θεῶ *in Academiæ parte conſederint: quibus artibus, inhiantes locuple-*

tum fortunis diuites orbos, vel cœlibes, deliros ſenes, ſuperſtitioſas mulierculas, & adoleſcentulos imperitos deceperint, & velut Circæo poculo, repentè immutarint: vt religionis ſpecie, quam inexplebili auaritiæ ſuisque fraudibus obtendunt, equum Troianum paulatim introduxerint: vt ſemper in inſidiis manſerint, & in ſpeculis ſteterint, proditionis occaſionem expectantes: vt eâ oblatâ machinam ſuam continuò aperuerint, armatisque hoſtibus hunc orbem, & totam Galliam omni genere calamitatis repleuerint. Ne verò inſidias & paratam peſtem caueremus, neve impendentia proſpicientibus ac prædicentibus viris crederemus, obſtiterunt Corrœbi quidam atque Vcalegontes, qui plures, in Ilio noſtro quam Laocoontes fuerunt. Et hos adhuc habemus in ſinu Sinones? Quid hos, malum, fouemus, aut quid hi ſciunt, Niſi vncta deuorare patrimonia? At gratis docent. Muta literulam, rem acu tetigeris, Gratis nocent: *eoque mactandi maiore infortunio, quod gratuitò ſunt mali: quãquam vix iſtuc ſibi perſuadebit, qui eos benè nouerit. Teſtes honeſtiſſimæ ampliſſimeque familiæ, quarum ſanguinem pro leui docendi opella, & exiguo Mineruali, iſti hirudines exorbuerunt. Teſtis immanis eorum cenſus, qui cum Regum ac ſummorum Pontificum opibus certat. Præclara liberalitas repudiare drachmam, vt talentum extorqueas! Mirum genus benignitatis, pro ſtipe menſtrua, immenſæ pecuniæ legata, optimasque captare & rapere hereditates! Inſtitutio puerorum*

rum his aucupibus eſt illix. pendebunt pulchrè qui ab ea tranſenna turdi lumbricum petent. Gratuita doctrina illis eſt pro hamo, vel potius pro reti-iaculo, quo callidi piſcatores cuncta conuerrunt cum puluiſculo. Stolidi parentes, qui ſuos iis credunt liberos, eadem opera columbas accipitribus, pullos miluiis, & oues committent lupis. Sed quid tandem iſti per aureum funem de cælo delapſi magiſtri diſcipulis ſuis tradunt? nihil ſapere, ritiis Hiſpanos, odium legum inſtitutique patrii, &, vt priſcis vtar verbis, imbelliam, imbalnitiem impolitiam, imparentiam, meramque cum Lauernæ ſacris barbariem: quam conſultò huc innexerunt, opinor, vt eam ſoli docerent. Interim deliteſcunt in vepretis noſtris nitedulæ, quæ rem ciuium arrodunt: nobiſcum impunè verſantur ſpeculatores & exploratores Philippi, & eius tyrannidis acerrimi ſatellites. Atqui diſcũtur apud eos boni pudicique mores. ſanè triſtes cum aſpicias, frugi cenſeas: nec tamen ſi fibulam geſtant, ſunt Hippolyti; nec ſi bonos auctores eurant, ideò bonis placent; Gallis præſertim, quibus naturâ ſunt inuiſi Deliaci. Magna laus eſt ſcilicet, ac palmarium facinus, ex hirco caprum, ex ariete veruecem, ac ex verre maialem facere. Atque vtinam fabri patribus eorum, qua parte opus fuit, perpetuam impoſuiſſent fibulam: recta hic non deprauarent ingenia, dum curua corrigere videntur, nec Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, ſuos edocerent artem mentiendi, & dolos, quos appellant induſtrios. Quid autem aliud

præciperent vulpeculæ, ſi ſcholam aperirent? Sic amant verum hi Chamæleontes polypi, ac ſtelliones: Huiuſmodi doctrinam, & hos mores, nos illis non inuidemus: ſibi habeant, abeantque ſimul cum ſtrigibus ἀκυπόρους ἐπὶ νῆας: *& illuc reuertantur, vnde malum pedem huc attulerunt. Iampridem vaſa collegerunt: profectionis ſignum datur: quid morantur amplius? Academia noſtra certè, quæ longum periculoſumque morbum eorum contagione contraxit, niſi hoc leuetur vomitu, vix vnquam conualeſcet.*

Hiſce veriſſimis grauiſſimisque accuſationibus, licèt boni omnes ſatis permoueri debebant, ad ſectam veſtram pernicioſiſſimam, antequam vniuerſam Galliam in grauiora pericula conijceret, toto illo *R*egno eiiciendam; non ita tamen feſtinari potuit, quin prius, quod alii luculentiſſimis teſtimoniis probauerant, vos ipſi facto ipſo, eoque atrociſſimo commonſtraueritis, Parricidio nimirum in Henricum IV. Galliæ & Nauarræ *R*egem tentato. Cum autem ex illius criminis informatione, cognitione & ſententia veritas ſcelerum veſtrorum maniſeſtiſſimè probetur, eaq; actio teſtimonia Regia, Ampliſſimiq; & *P*ontificii Senatus contineat, eam hîc totam inſerere viſum eſt.

Pro-

Proceſſus ſiue Actio contra Iohannem Caſtellum, Collegii Ieſuitici Scholarem, ob parricidium in Chriſtianiſſimum Henricum IV. Franciæ & Nauarræ Regem ab ipſo tentatum. Et Arreſta contra Parricidam, & Ieſuitas pronunciata.

Proceſſus varii iudiciales & legitimi contra Ieſuitas.

Decimoſeptimo Decembris Anni 1595. horam inter ſextam & ſeptimam ſub veſperam, cum Chriſtianiſſ. Galliæ & Nauarræ Rex Henricus IV. Lutetiam appulißet, Iohannes Caſtellus Pariſienſis, Scholaris in Collegio Ieſuitarum educatus ac inſtitutus, natus annos nonendecim, in Luparam [u] *ingreſſus ad Maieſtatem ſuam propius acceſſit; & cum illa ſe ad Nobilem quendam partibus ſuis bene deditum, ac tum reuerentiæ vtêtem reſalutandum inclinaret, is cultrum ipſi in os inflixit, ac labrum ſuperius diſcidit: Et niſi in denies impegiſſet, altius culter penetraſſet. Poſtea abiecto cultro, fugâ ſalutem quærere têtauit: ſed à quodam ſatellitum præfecto captus fuit. Id cum ſua Maieſtas clementiſſima reſciuißet, ei, qui ipſum detinebat, vt abire ſineret, iuſſit, dicens, ſe ipſi hoc condonare. At quum poſtmodum intellexiſſet, quod ſcholaris, per Ieſuitas informatus eßet, Maieſtas ſua dixit: Nunquid itaq; oportuit, vt* [x] *Ieſuitæ per os meũ proprium cõuincerentur? Captus parricida, principiò facinus negauit, poſtea cõfeſſus, Iudici prætoriano tradit⁹, &*

u Palatium Regium.

x Sciebat enim Rex, vniuerſale Ieſuitarum propoſitũ eſſe, Reges omnes Pontificis ad nutum non parẽtes, occidere.

in carcerem fori Epiſcopalis abductus fuit. Ibi interrogatus fuit, quis eſſet, quam ob cauſſam captiuus teneretur, num parricidium in Regem tentaſſet, quomodo ipſum percuſſiſſet, & num culter veneno illinitus fuiſſet? Præſtito iuramento, dixit ſe Scholarem eſſe, & ob id captiuum detineri, quod Regem interimere voluiſſet, quem tamen nonniſi exiguo vulnere læſiſſet: ſe facinus hoc, quacunque oblata occaſione patrandum, dudum apud ſe conſtituiſſe, & quidem cultro, quem nudum in manica inter cutem & induſium ſuum geſtaſſet, & Maieſtatem ſuam, quod illa ſeſe inclinaret, in facie vulneraſſe, nec cultrum, quantum ſibi conſtaret, veneno tinctum, ſed domeſticum eſſe, qui domi patris ſui in quotidiano vſu fuiſſet. Mentem quidem ſibi ſæpius fuiſſe, Regem prima quaque oblata commoditate trucidandi. Hac verò veſperâ ſe, quum in Platea S. Honorii, prope finem plateæ Auſtruchiæ ſubſtitiſſet, ac multos tam equites quam pedites cum facibus ac lucernis prætereuntes vidiſſet, quendam Nobilem aut alium ſibi proximum rogaſſe, quis nam Rex eſſet: Tum Nobilem illum ſibi quendam Chirothecis indutum oſtendiſſe, & eum eſſe Regem dixiſſe: Atque inde ſe in perficiendo hoc peſſimo conſilio perrexiſſe, Regem in aliquod Lupara conclaue vſque ſectando, vbi eum ictu cultri in os punxiſſet: patrato facinore, cultrum in conclaui abieciſſe, & fugam capere voluiſſe: captum autem, primò factum à ſe ictum negaſſe: poſtea tamen confeſſum eſſe, vt & res veriſſimè

ſeſe

ſeſe haberet. Ac vlterius interrogatus, faſſus eſt, longo antè tempore ſe facinus hoc agitaſſe, & quoniam non ſucceſſiſſet, ſibi adhuc id patrandi animum eſſe, ſi poſſet, quod ſibi certò perſuaſiſſet, multum id incrementi [a] *& vtilitatis Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ Religioni pariturum. Octo iam præteriiſſe dies, ex quo rurſus de hoc facinore deliberare incœpiſſet, & vndecimâ circiter horâ antemeridianâ ſententiam faciendi id, quod feciſſet, certò ſibi ſtetiſſe, cultrumq; è repoſitorio Patris ſui prehenſum, in Muſæum ſuum ſe deportaſſe, & inde ad prandendum cum Patre Petro Caſtello, Dionyſia Hazarda matre, Catharina ſorore primogenitâ, homini cuidam, cui Comiti nomen, nuptâ, & Magdalenâ Caſtella ſorore natu ſecundâ, rediiſſe, præſentibus etiam Petro Ruſſelio, Simone Thurino, & Ludouico Camo. Prandio peracto Patrem & matrem ſe ad benè viuendum exhortatos eſſe, quod quidem ipſis promiſiſſet. Inde ſe ad preces veſpertinas iuiſſe, poſtea ad Patrem rediiſſe, cum quo ad quærendum quendam conſiliarium Caſtelli abiiſſet, & illo non reperto in templum D. Iohannis ſe recepiſſe: poſtea in domum patris reuerſum, inde cum cultro in manica Thoracis abſcondito (quem quum primum ad D. Iohannem iret, arripuerat) rurſus exiiſſe. Prætereà interrogatus, quidnam eo die feciſſet, & cum quo de hoc facinore contuliſſet? Reſpondit, ſe, quum hora octaua matutina ſurrexiſſet, vrbe egreſſum Miſſæ audiendæ gratia ad S Laurentium iuiſſe. Examinatus de ſua conditione, & vbinam lite-*

[a] Parricidia Regum & Principum, Iudicib. Ieſuitis, multum incrementi & vtilitatis Religioni Romanæ afferunt. Ratio: nam omnibus Regib. vel extinctis, vel ſubactis, Pontifex ſolus Monarcha eſſet.

ris operã dediſſet? Dixit, apud Ieſuitas principaliter, inter quos per tres annos vixiſſet, & poſtremò quidem ſub patre Guereto Ieſuita. Dictum patrem Gueretum proximo Veneris aut Saturni die ante patratum facinus ſe vidiſſe, à Patre Petro Caſtello ad illum adductum, propter quendam cõſcientiæ caſum, qui fuiſſet, quod propter ingẽtia peccata per ſe commiſſa de Miſericordia Dei deſperaſſet: voluiſſe ſe adhuc plurima enormia peccata & quidem contra naturam committere, de quib. ſæpius cõfeſſus eſſet: & ad expianda illa peccata opus fore omnino credidiſſe, vt facinus aliquod inſigne patraret: ſæpiſſimè animum ſibi interimẽdi Regem fuiſſe, & de hac imaginatione ac volũtate cum patre ſuo ſe collocutum: Patrem verò ſibi dixiſſe, id malum & illicitum eſſe. Et quoniam geſtabat Agnum Dei, induſium D. virgini ſacratum, & roſaria circa collum, interrogatus, quiſnam ea ipſi dediſſet. & anno ipſi propterea data fuiſſent, vt ad occidẽdum Regem induceretur, promiſſa ſecuritate, quod violari non poſſet? Item, quando, & cui confeſſus eſſet? Dixit, matrem ſibi Agnum Dei, & induſium D. virgini ſacratũ dediſſe: quantum verò ad roſaria, ſeipſum ea cõfeciſſe. Confeſſum ſe eſſe in proximo omnium Sanctorũ feſto Claudio Alemanto Presbytero, Curiali S. Petri de Aſſiſiis. Iac. Benardo, Sacerdoti Clerico, & Luca Morino presbyt. cõſueto in illa parochia. Hiſce peractis, culter, quo regem percuſſerat, ipſi oblatus fuit, quẽ recognouit: ſicuti etiam recognouit tres ſchedas, quæ Anagramma Regis hunc in modum

modum continebant: *Henr. Bourbonius, Craſſus, Bubulcus, Tyrannus, Fax Galliæ:* vti etiam nouē parua folia manu ipſius ſcripta, peccatorum ſuorum confeſſionem ab vtraq; parte continētia: quæ domi in cella vinaria patris abſconderat. In iſtis 9. foliis peccata ſua ſecundum ordinem Præceptorum Decalogi conſcripſerat: quod de Diuinitate dubitauiſſet: quod proximum non amaret: quod charitas ipſi nulla eſſet: quod erga parentes ingratus fuiſſet, quod quum quidam ſuorum præceptorum ex ipſo quæſiuiſſet, nunquid peccatum contra naturam (quod eſt dictu nefandum) commiſiſſet, ipſe illud falſiſſime, & quidem magna cum obteſtatione negauiſſet: & de hoc putabat ſe nihil eſſe confeſſum, ſicut etiam de pluribus aliis turpiſſimis & execrandis peccatis: quod nimirum inceſtum cum ſorore committere voluiſſet: quam ob cauſam & confeſſiones & communiones ſuas non minus peccata mortifera eſſe exiſtimaret. Quod poſtea plurima homicidia committenda ſibi propoſuiſſet, & inprimis Regem trucidare in animo habuiſſet. Hiſce primis Quæſtionibus adhuc pendentibus, famaq; per vrbem volante, Regem nonniſi vulneratum, & cultrum veneno nō fuiſſe tinctum, continuò gratiæ Deo acta, & canticum, Te Deum laudamus, in templo B. Virginis decantatum. Poſtero die iis, quæ acta fuerant, ſenatui Parlamenti transmiſſis, captiuus in cuſtodiam Palatii abductus, ac rurſus per præcipuos Aulæ Officiales interrogatus fuit; Vbi ea, quæ in primis Quæſtionibus confeſſus erat; in præſentia

Henry de Bourbon Graiſsè, Bouuier, Tyran, Brandon de la Frãce.

Præfecti Prætorio repetiuit. Cumq; quæſitum eſſet ex eo, quodnam eſſet inſigne illud facinus, quod ſe, ad expianda grauiſſima crimina, quibus conſcientiam oneratam ſenſiſſet, patrare debuiſſe, putarit? Dixit, ſe vires in Regem occidendum intendere voluiſſe, verum nonniſi paululum in labro eum vulneraſſe, quod culter in dentes impegiſſet: ſe tamen propterea accuſatum non ſenſiſſe, quod dentes ſibi obſtitiſſent, ſed putaße Regem lethali vulnere à ſe læſum, quoniam ei fauces præcicidere voluiſſet: metuendo, quoniam Rex veſtib. benè munitus fuiſſet, ne culter retunderetur. Et quoniam opinionem habuiſſet, quod Deus ſui rationem non haberet, & certus fuiſſet, ſe vt Antichriſtum damnatum eſſe, voluiſſe è duobus malis peius effugere, & quoniam damnatus eßet, maluiſſe ſe pro quatuor quam pro octo hoc factum. Interrogatus, an, cum ſeſe in hanc cõiiceret deſperationem, per deteſtandum hoc facinus ſe vel damnari, vel animam ſuam ſeruari putârit? Reſpõdit, ſe omnino credere, quod hoc factum à ſe patratum diminutioni pœnarum ſuarum ſeruiret, quod certo ſibi perſuaderet, ſe maiores pœnas daturum fuiſſe, ſi cædem Regis non tentauiſſet, & minores laturum, ſi vires ad vitam ipſi eripiendam intẽderet: ſic vt minorem pœnam cum multò maxima comparatam, ſpeciem ſalutis eße exiſtimaret. Rogatus, vbinam nouam hanc Theologiam didiciſſet? In Philoſophia, dixit. Quæſitus, an Philoſophiæ [b] in Collegio Ieſuitarum operam dediſſet? Reſpondit, quod ſic, & quidem patre Guereto

[a] Parricidia Regum & Principum apud Ieſuitas meritoria, & peccatorũ expiatoria. Vide, lector, *quantum moliantur maligni iſti ſpiritus exemplo ſuo, velut diuinã authoritatẽ præbere ſceleribus*, Aug. l. 2. de ciuitat. Dei. c. 15.

[b] Vide ſupr. in præf. ad lectorem.

reto præceptore, apud quem annos duos & dimidium vixiſſet. Interrogatus, num in conclaui Meditationum [p] *fuiſſet, in quod Ieſuitæ inſignes peccatores inducere ſolerent, qui in eo conclaui plurimorum Diabolorum picturas diuerſis horrẽdisq; figuris conſpicerent, ſub prætextu ad meliorem illos vitam reducendi, ad commouẽdos ipſorum ſpiritus, & huiuſmodi admonitionibus ad magnum aliquod facinus impellendos? Dixit, ſe multoties in eo Meditationum cõclaui fuiſſe. Rogatus, quiſnam ipſum ad trucidandum Regem induxiſſet? Reſpondit, ſe multis in locis audiuiſſe, quod pro axiomate veriſſimo haberi oporteret, licitum eſſe occidere* [q] *Regem, & illos, qui hoc dixiſſent, ipſum Tyrannum appellauiſſe. Quæſitus, an non propoſitum occidendi Regem Ieſuitis eſſet commune & ordinarium? Dixit, ſe ab illis audiuiſſe, licitum eſſe occidere Regem, & eum extra Eccleſiam eſſe, neq; ei oportere obedientiam præſtari, neq; pro Rege* [r] *eum haberi, niſi à Papa approbatus fuiſſet. Rogatus inſuper in magna camera, præſidibus & conſiliariis illius, &* [s] *Turriculæ congregatis, eadem reſponſa dedit, ac præſertim propoſuit ac defendit, axioma illud, quod licitum eſſet occidere Reges, ac inprimis eum, qui iam rerum potiretur, quia nõ eſſet in Eccleſia,* vt ille dicebat, *propterea quod à Papa non approbatus eſſet. Tandem Parlamẽtum Arreſtum ſequenti tenore decreuit.*

Extractum ex *R*egiſtris Parlamenti.

Viſo per curiam, magnæ Cameræ & Turricu-

p Meditationum conclaue Ieſuiticum.

q Henricũ Burboniũ hîc Regem appellant, ſed abuſiuè vt ex infrà ſcriptis patet.

r Reges Euangelici à Pontifice & Ieſuitis pro Regibus non habẽtur, imo nec Catholici, niſi cũ põtifice in gratiam redierint; vnde etiam cũ illos aliquo modo è medio tollere poſſunt, ſe non Regũ parricidas, ſed Eccleſiæ liberatores eſſe gloriãtur.

s In qua criminalia tractantur.

le Conſiliariis congregatis, proceſſu criminali per Præfectum Prætorio Regio incepto, ac deinceps per Informationes abſoluto, ad inſtantiam Procuratoris Generalis Regis Petitoris & Accuſatoris, contra Johannem Caſtellum, natione Pariſienſem, Scholarem, qui curriculum ſtudiorum ſuorum in Collegio Claremontano confecit, in carcere cuſtodiarum Palatii captiuum, propter execrandum & abominandum parricidium in ipſum Regem tentatum: Interrogatoriis & confeſſionibus dicti Iohannis Caſtelli in dicto Parlamento de facto parricidii auditi & interrogati, auditis etiam ibidem Iohanne Guereto presbytero de congregatione & ſocietate nominis Ieſu ſe dicente, in dicto Collegio habitante, antehac dicti Iohannis Caſtelli præceptore, & Petro Caſtello ac Dionyſiâ Hazarda parentibus dicti Iohannis: concluſionibus Procuratoris Generalis Regis, & omnibus conſideratis: Decretum eſt, quod dictum Parlamentum declarauit & declaret dictum Iohannem Caſtellum conuictum reumque criminis læſæ Maieſtatis diuinæ & humanæ, & in primo quidem capite, propter nefarium & deteſtandum parricidium in ipſum Regem tentatum: Ad cuius criminis expiationem damnauit, & damnat dictum Iohannem Caſtellum, vt faciat amendam honorabilem ante præcipuam Eccleſiæ Pariſienſis portam, nudus & induſio tantum indutus, facem ceream ardentem duarum librarum in manu tenens, & illic in genibus ſubſidens dicat & declaret, ſe nefariè & proditoriè

Ieſuitæ nefarii proditores.

riè dictum inhumaniſſimum & execrandum parricidium tentauiſſe, & Regem cultro in facie læſiſſe: & falſiſſimis & damnabilibus inſtructionibus imbutum in dicto proceſſu dixiſſe, licitum eſſe occidere Reges, & Regem Henricum IV. qui iam rerum potitur, non eſſe in Eccleſia, vſque dum approbationem à Papa habeat: cuius ſceleris ſe pœnitere & vt ſibi condonetur, Deum, Regem & Iuſtitiam implorare. Hiſce peractis ducatur & rapiatur in plauſtro ad forum Grenarium, illic forcipibus candentibus in brachiis & coxendice inuratur, & manus ipſi dextra cultrum, quo parricidium tentare auſus eſt, tenens, abſcindatur: ac poſtea corpus ipſius per quatuor equos in partes trahatur ac diſcerpatur, membra & corpus in ignem coniiciantur, ac in cineres redigantur, & cineres in ventos diſpergantur. Declarauit etiam ac declarat, vt omnia & ſingula ipſius bona in fiſcum Regium redigantur. Ante horum verò executionem dictus Ioh. Caſtellus Quæſtioni ſeu torturæ tam ordinariæ quam extraordinariæ ſubiiciatur, vt veritas de ipſius coniuratis, & aliis aliquibus caſibus ex hac Actione procedentibus extorqueatur. Prohibuit & prohibet omnibus & ſingulis, cuiuſcunque ſint generis, qualitatis aut conditionis, ſub pœna criminis læſæ Maieſtatis, ne in quocunque loco vel publico aut alio dictas propoſitiones proponat: quas dictum Parlamentum declarauit & declarat ſcandaloſas, ſeditioſas, verbo Dei contrarias, & vt Hæreticas per ſancta decreta damnatas. Statuit, vt Presbyteri &

Ieſuitæ ſeditioſi & hæretici.

Ieſuitę corruptores iuuentutis; Publicę trãquillitatis Perturbatores. Regis & Regni perduelles.

*Scholares Collegii Claremontani, & omnes alii ſe denominantes de ſocietate Ieſu, vt corruptores Iuuentutis, publicæ tranquillitatis perturbatores, Regis & Regni perduelles, intra tertium diem ab huius Arreſti intimatione ab hac vrbe Pariſienſi, & ex aliis vrbibus & locis, vbi Collegia illorum ſunt, intra decimumquintum diem extra Regni fines faceſſant, ſub pœna ſicubi illi eo tempore elapſo reperiantur, quod punietur ſicuti dicti criminis læſæ Ma*tis *rei. Bona autem ipſorum tam mobilia quam immobilia ad eos ſpectantia, ad opera pia applicabuntur, eorumq; diſtributio fiet ſecundum ea, quæ à curia ſtatuentur. Adhæc interdicit omnibus ſubditis Regis, ne emittant Scholares ad dictæ ſocietatis collegia, quæ extra Regnum ſunt, ſub eadem pœna criminis læſæ Ma*tis *ſtatuit, vt extracta præſentis Arreſti ad præfecturas & municipia huius Diœceſis mittantur, quo iuxta formam & tenorem ſuum executioni mandentur. Iniungit etiam Diœcetis & Præfectis, ipſorum vicariis generalibus & particularibus, vt ad executionem intra tempus, quod in eo continetur, procedant, & iis, qui Procuratori generali ſunt ſubſtituti, vt manum huic executioni admoueant, & de contrauentionibus ac ſua diligentia dictum Parlamentum intra menſem informent ac certius reddant ſub pœna amittendi ſtatus aut officii.*

Signatum Tillet.

Pronunciatum dicto Iohanni Caſtello, die Iouis, 29. Decembris, Anno 1594.

R E-

RELATA A CONSILIARIIS Curiæ Parlamenti delegatis ad informandum & inquirendum ſuper illis, quæ in Collegio Claremontano Ieſuitæ docebant.

PRoceſſu illo pendente, in quo Arreſtum hoc extitit, quidam Dominorum à Parlamento Deputatorum, cum ſe in Collegium [a] Claremontanum, vbi Ieſuitæ erant, contuliſſent, & multas chartas ſcriptaque deprehēdiſſent, inuenerunt inter illa duos libros ſcriptos manu Iohannis Guignardi Presbyteri de Societate illorum Ieſuitarum ſedicentis, qui erant libelli famoſi, quos ille (poſt edictum Amneſtiæ & Abolitionis generalis, per dictum Dominum Regem Rebellibus ſuis ſubditis Pariſienſibus, poſtquam Deo placuiſſet eoſdem ſub ſuam poteſtatem reducere, clementiſſimè promulgatum) compoſuerat ac ſeruauerat, in quibus libellis ille non ſolùm calumniis contra honorem defuncti Regis beatæ memoriæ (quem Deus abſoluat) & contra præſentem Regem vſus erat: verùm etiam propoſitiones plurimis falſiſſimis & [b] ſeditioſiſſimis mediis refertas conſcripſerat, ad probandum, quòd parricidium in Rege Anteceſſore patratum licitum fuiſſet, perſuaſionibus etiam ſeu inductionibus ad Regem ipſius ſucceſſorem trucidandum, in terminis ſequentibus, additis:

[a] Collegii Claremontani viſitatio.

[b] Ieſuitæ ſeductores ſeditioſi & Parricidæ.

1. *Et primò quidem, Quod ſi, inquit, anno 1572. die S. Bartholomæi venam Baſiliſci (ſic Regem Nauarreum indigitat) præcidiſſemus, è febri in peſtem non incidiſſemus, quod iam comperimus. Sed quicquid delirãt Reges, &c. ſanguini parcendo, Galliam in ignem & ſanguinem coniecerunt, & in caput reciderunt mala.*

2. *Quòd crudelis Nero per Clementem occiſus. & Monachus Hypocrita per manum veri Monachi è medio ſublatus ſit.*

3. *Euocabimus nos Neronem aut Sardanapalum Gallicum, vulpem Bearnenſem, Leonem Luſitanicum, Lupam Anglicam, Gryphum Suecicum, & porcum Saxonicum?*

4. *Putasne pulcrum fuiße videre tres illos Reges, ſi Reges appellandi ſunt, Tyrannum defunctum, Bearnenſem, & qui ſe Luſitaniæ Monarcham prætendebat, Antonium?*

5. *Quod pulcerrimum Anagramma, quod vnquam ſuper nomine defuncti Tyranni repertum fuiſſet, hoc eſſet, quo impurus* [a] *Herodes appellaretur.*

6. *Quòd facinus illud Heroicum per Iacobum Clementem patratum, tanquam donum* [b] *Spiritus Sancti, hoc nomine à Theologis noſtris appel-*

Sic Windeckius in deliberatione de extirpãdis hæreſibus Rom. 22 loquens de Principibus Euangelicis Germaniæ: *niſi, inquit, in ipſis ſuis initiis radicitus extirpentur, poſt longiuſculam moram non reuelli queant. Si Colignius & Condæus in Galliis: Egmõdanus, Hornenſis & Vranius in Belgio in Germania Proceres nõnulli aliiq; fautores Caluiniſmi tempeſtiue oppreſſi fuiſſent, antequam alios in Societatem ſcelerum attraxiſſent, & ſenſim ibi vires collegiſſent, non longè lateq; poſt omnia horrendum in modum depaſti & populati eſſent.* An non Ieſuitis Germanis cum Gallicis optimè conueniat, & omnibus idem ſit propoſitum?

[a] Vilain Herodes. [b] Quod & Tortuoſus Bellarminus multis probat in Reſponſ. ad apologiam pro iuramento fidelitas. fol. 86. impreſſ. Colon. vbi dicit de huius Clemẽtis ſcelere

appellatum, per defunctum Iacobitarum Priorem Burgoinium, Confeſſorem & Martyrem, propter plurimas rationes tàm Lutetiæ, quod ego ipſe (inquit) meis auribus tum cum Iuditham ſuam explicaret, audiui, quàm coram egregio illo Parlamento Turonenſi, iure laudatum ſit: Id quod dictus [c] *Burgoinius, quod plus ſit, ſanguine ſuo conteſtatus ſit, & morte propria confirmauerit: nec oportere fidem adhiberi iis, quæ ab inimicis dicerentur, quòd nimirùm ipſe vltimis ſuis verbis facinus illud tanquam deteſtandum improbauerit.*

7. Quòd Diadema Gallicum in aliam quàm Burbonicam familiam transferri poſſit & debeat.

8. Quòd Bearnenſis, licet ad fidem Catholicam reuerſus, mitius tamen, quàm meritus ſit, tractaretur, ſi corona Monachalis in Cœnobio quodam benè reformato ipſi daretur, vt ibi de tantis malis Galliæ illatis pœnitentiam ageret, & Deo pro ea gratia, quòd ante mortem ſuam ipſum recognouiſſet, gratus eſſet.

9 Si ſine bello deponi non poſſit, bellum ipſi inferendum: ſi bellum inferri non poſſit, cauſa mortua, clam è medio tollatur.

Ex hiſce propoſitionib. veriſſimè euincitur, Arreſtum Parlamenti cōtra Ioh. Caſtellum parricidam declaratum, & Ieſuitarum Proſcriptionem & è Regno eiectionē continens, ſummo iure factum eſſe, & in-

loquens quod Pontifex in oratione ſua opus Dei, non opus hominis prædicandum ſuſceperat.

c Parricidia Regum à Ieſuitis & Pontificibus, vt dona Spiritus ſancti commendãtur.

dicium verè diuinum appellari poſſe: cum ex ſcriptis huius Ieſuitæ Guignardi cognoſcatur, quàm peſtifera & pernicioſa ſit huius generis hominum doctrina, & ad quem finem tendat.

At Parlamentum cum ea ſcripta vidiſſet, authorq; Guignardus de iis ipſi oblatis interrogatus, à ſe compoſita & ſuâ manu ſcripta agnouiſſet & confeſſus eſſet, Arreſtum, quod ſequitur, declarauit.

Extractum ex Regiſtris Parlamenti.

V*Iſo per curiam magnæ cameræ & Turriculæ conſiliariis congregatis, proceſſu criminali per aliquem eius Conſiliarium formato, ad petitionem Procuratoris Generalis Regis, contra Iohannem Guignardum Presbyterum, Collegii Claremontani in hac vrbe Pariſienſi Rectorem, in carceribus cuſtodiarum Palatii captiuum, propterea quòd multi libri ab ipſo compoſiti & ipſius manu ſcripti apud eum inuenti fuêre, qui inter cætera crudeliſſimi & immaniſſimi Parricidii in Rege Anteceſſore commiſſi (quem Deus abſoluat) approbationem, & ad præſentem etiam Regem occidendum inductiones & perſuaſiones continebant: Interrogatoriis & confeſſionibus dicti Guignardi, libris iſtis, quos compoſuerat & ſuâ manu ſcripſerat, ipſi præſentatis & ab eo agnitis, Concluſionibus Procuratoris Regii Generalis, dicto Guignardo coram Parlamento*

mento ſuper criminibus ipſi obiectis & in iſtis libris contentis: audito & interrogato, & omnibus conſideratis: Decretum eſt, quòd Parlamentum declarauit & declaret iſtum Guignardum criminis læſæ Maieſtatis reum & conuictum, quòd iſtos libros compoſuit & ſuâ manu ſcripſit, qui plurimas falſiſſimas & [a] ſeditioſiſſimas regulas continent, quibus probare conatur, parricidium in Rege Anteceſſore commiſſum licitum fuiſſe, & etiam præſentem Regem Henricum IV. occidere permiſſum eſſe: ad cuius ſceleris expiationem damnauit & damnat dictum Guignardum, vt amendam faciat honorabilem, nudus & induſio tantùm tectus, laqueo è collo pendente, ante principalem Eccleſiæ Pariſienſis portam, ac ibi in genibus ſubſidens, facemque ceream ardentem duarum librarum in manu tenens, dicat & declaret, quod ſceleratè & nefariè & contra veritatem ſcripſerit, Regem Anteceſſorem per Iacobum Clementem iure occiſum fuiſſe, & Regem nunc regnantem, niſi in bello occumbat, è medio tolli oportere: Horum autem ſe pœnitere, & gratiam à Deo, à Rege, & à Iuſtitia precari. Hiſce peractis ducatur & rapiatur in forum Greuarium, & ad palum, qui ad hanc rem ibi erigetur, ſuſpendatur & ſtranguletur, ac poſteà corpus mortuum per ignem, qui ſub palo excitabitur, in cineres redigatur. Declarauit etiam & declarat, vt omnia ipſius bona fiſco Regio addicantur. Pronunciatum dicto Iohanni Guignardo, & executioni mandatum 7. Die menſis Ianuarii, Anni 1595.

[a] Ieſuitæ ſeductores ſeditioſi & Regũ Parricidæ.

Eodem die inſtituto & peracto proceſſu contra Iohãnem Gueretum Parricidæ præceptorem,& Petrum Caſtellum patrem, & matrem & ſorores, præſertim contra vnã ex illis,quæ cum intellexiſſet fratrem ſuum eſſe captum,&ipſa in carcerem duceretur,Ieſuitas dicto fratri ſuo conſilium aliquod malum dediſſe,exclamauerat:Iſtis Guereto, Petro Caſtello,vxore & filiabus eius, & ipſorum ſeruis & ancillis,ſimiliter & Curiali D. Petri de Aſſiſiis auditis Arreſtum ſequens declaratum eſt.

EXTRACTVM EX REGISTRIS Parlamenti.

VIſo à Parlamento, magna camera & Turricula conſiliariis congregatis, proceſſu criminali per præfectum Prætorio Regio formato,& poſtea informationib. productis, ad inſtantiam procuratoris generalis Regis petitoris & accuſatoris contra Ioh. Gueretum presbyterum, de cõgregatione & Societate nominis Ieſu ſe denominantẽ, in Collegio Claremontano habitantem, & antehac Ioannis Caſtelli non ita pridem per Arreſtum dicti Parlamenti morte affecti præceptorem, Petrũ Caſtellum mercatorem pannarium, ciuẽ Pariſienſem, Dionyſiam Hazardam ipſius vxorẽ, parentes dicti Ioh. Caſtelli, Ioh. Comitem & Catharinam Caſtellam eius vxorem, Magdalenam Caſtellam dicti Petri Caſtelli & Dionyſiæ Hazardæ filias, Antonium Vallierium, Petrum Ruſſelium,

Simo-

Simonem Thurinum, & Ludouicum Camum ipſorum ſeruos & ancillas, Magiſtrum Claudium Allemantium presbyterum, Curialem S. Petri de Aſſiſiis, Magiſtrum Iacobum Benardum presbyterum, Clericum in dicta Parochia, & M. Lucã Morinum presbyterum in illa ordinarium, in carcere cuſtodiarum Palatii captiuos; interrogationibus, Confeſſionib. & denegationib. dictorum Captiuorum, dicto Ioh. Caſtello cum Patre ſuo Petro Caſtello compoſito, inquiſitione contra Petrum Caſtellum inſtituta, teſtib. in illa auditis cũ ipſo compoſitis, proceſſu criminali Iohãnis Caſtelli propter execrandum & deteſtandum parricidium in Regem tentatum, & proceſſu verbali executionis Arreſti contra dictum Io. Caſtellum 29. proximi Decembris die declarati, concluſionibus procuratoris generalis Regis. dictis Guereto, Petro Caſtello & Hazarda ſuper criminibus ipſis obiectis & in dicto proceſſu contentis, coram Parlamento auditis & interrogatis: Aliis interrogationibus & denegationibus per dictos Gueretum & P. Caſtellum in quæſtione per inſtitutum Parlamenti ipſis exhibita factis, & omnibus conſideratis: Decretum eſt, quod dictum Parlamentum propter crimina in illo proceſſu demonſtrata, relegauit & relegat extra Regnum Franciæ dictos Gueretum & Petrũ Caſtellum; Gueretum quidẽ in perpetuum & dictum Caſtellum ad tempus & ſpatium nouem annorum, & extra vrbẽ & ſuburbia Pariſienſia in perpetuum: iniunxit etiam illis, vt hanc ſuam relegationem obſeruent,

pœnâ ſuſpenſionis & ſtrangulationis, ſine vlla alia Iudicii forma indicta. Declarauit & declarat, vt omnia & ſingula dicti Guereti bona in fiſcum Regium redigantur; & damnauit ac damnat dictum Petrum Caſtellum, vt Regi pro mulcta bis mille coronatos ſoluat, qui ad panis captiuis in cuſtodiis Palatii emendos & comparandos applicentur & impendantur, nec ille è carceribus liberetur, priusquam dictam ſummam pleniſſimè ſoluerit, nec tempus Relegationis niſi illa ſoluta incipiat. Statuit dictum Parlamentum, vt [b] domus illa, in qua Petrus Caſtellus habitauit, deiiciatur, deſtruatur, & penitus exſcindatur, & locus ille ſeu area locis publicis annumeretur, ne in poſterum quisquam ibi ædificare poſſit: quo in loco, ad perpetuam huius ſceleratiſſimi & execrandi parricidii in Regem tentati memoriam, alta columna è lapide cæſo ſtructa ponatur & erigatur, affixa ſimul tabula, in qua cauſæ dictæ demolitionis & erectæ columnæ ſcribantur, quod ea pecunia fiet, quæ ex demolitione domus proueniet. Et quantum ad dictos Hazardam, Comitem, Catharinam & Magdalenam Caſtellam, Villierium, Ruſſelium, Thurinum, Camum, Allemantum, Benardum & Morinum attinet, ſtatuit Parlamentum, vt carceres ipſis aperiantur. Pronunciatum dictis Hazardæ, Comiti, Catharinæ & Magdalenæ Caſtellis, Villierio, Ruſſellio, Thurino, Camo, Allemāto, Benardo, & Morino 7. Die Ianuarii, & dictis Guereto & Petro Caſtello 10. die dicti Menſis, Anni 1595.

[b] Domus Parricidæ damnatur ad excisionem, atque æternæ memoriæ cauſa Pyramis cum inſculptâ nefandi ſceleris hiſtoria in area erigatur, decernitur.

Ex

Ex hoc proceſſu videre eſt, quòd Parlamentum in Inquiſitione & iudicio omnia ea adhibuerit, quæ in bona, integra & ſancta iuſtitia requiri poſſunt, cum omnib. formis in Proceſſibus Criminalib. conſuetis: ſic vt Arreſta hoc modo decreta opus nō habeat, vt per quaſcunq; alias rationes defendātur. Et quod illud tum contra Ieſuitas ſtatuit, iam antè in ea cauſâ iuſtiſſimè ſtatutum erat, quæ Meluni vltimo Auguſti die Anno 1593. euenit, & quam illud poſteà reuidit, cum ad iudicium in Actione contra Io. Caſtellum procederet, in quæſtione nimirum capitali contra [a] Petrum Barrierium habitâ: qui cum à plurimis Lugduni Presbyteris, dū illis peccata ſua de parricidio in Regē cogitato confiteretur, de eodē ſcelere cōſilium exquiſiuiſſet, & per indicium cuiuſdā ſanctiſſimi Religioſi & inter omnes bonos Gallos amore digniſſimi, fratris S. B. F. & B. F. captus fuiſſet, *confeſſus eſt, ſe expreſſe in aulam occidendi Regis cauſa veniſſe, & ad hoc facinus per [b] Ieſuitam quēdam, cui Varada nomen, qui quotidie Regem conuitiis dilacerabat, impulſum fuiſſe. Quo Ieſuita perſuadente ſe cultrum, ictui tantùm deſtinatum, emiſſe: Sed petito prius ea de re ab Aubrio Curiali S. Andreæ, cui mentem ſuam aperuiſſet conſilio, illo conſultore ad dictum Varadam Collegii Ieſuitici Rectorem ſe recepiſſe, & per illum in Reſolutione ſua de Rege trucidando confirmatū fuiſſe: promittente ſibi ſe-*

[a] Petrus Barrierius Parricida Regis, Ieſuitis ſuaſorib. & conſciis parricidiū in Henricū IV. tentauit.

[b] Ieſuitæ Parricidiorum conſultores.

curitatem Varada, ſi caperetur aut capite plecteretur, ſe eam ob cauſam Martyrii coronam in cœlo conſecuturum: Dictumq; Varadam, cum ſe confitentem audiuiſſet, per ſanctum Confeſſionis & Communionis Corporis Domini noſtri ſe adiuraſſe, vt hoc cœptum perſequeretur, & Galliam à Rege Nauarrao, quem Tyrannum appellauiſſet, liberaret. Præter hoc ſcelus per inquiſitiones alias ex iuſſu [a] *Parlamenti factas compertum fuit, quod duo Heluetii, cum per Biſantium paulo ante parricidium à Caſtello in Regem tentatum tranſirent, duos homines habitu Ieſuitico indutos obuios habuiſſent, qui ſe Romam ire, & quampridem Regem Nauarræum occiſum aut vulneratum fore, & illum ictum tanquam è cœlo expectari, dixiſſent.*

a Ieſuitæ Parricidii Regis conſcii illud nõ detegunt ſed laudãt.

Notatum præterea, [b] Iubilæum non ita pridem Romæ promulgatum: quod Hoſtes Regis ad Bearnenſem fulminandum, tanquam factum præclarum, admonitionem eſſe dicebant. Hoc etiam ab Hiſpanis, qui non ita pridem in Britanniam rebellib. auxilio venerant, expectabatur. Idem quoq; à Ieſuitis ſperabatur, præſertim ab iis, qui Pariſiis erant, quorum quidã, vt Rege vulnerato ſtatim cõpertum eſt, cum ipſorum Collegia cuſtodiis circundarentur, ad ianuas fratrum ſuorum hiſce verbis clamitabant: *Surge, Frater, agitur de Religione.*

b Iubilæa Romæ inſtituuntur ad Reges & Principes Euangelicos extirpandos.

[c] Plurima item in dictorum Ieſuitarum Collegio Anagrammata contra Regem inuenta

c Anagrãma contra Regem Nauarræu.

uenta fuere: ſicut & quædam themata per Grammaticos dictata, quorum Argumentum de morte conſtanter ſufferenda, & Tyrannis inuadendis erat. Præterea cognitum eſt, quòd Magiſtri Collegii Claremõtani Scholaſticis ſuis, ne pro Rege precarentur, vrbe Pariſienſi ſub poteſtatem Maieſtatis ſuæ iã redactâ, præcepiſſent, & eos, qui ad Miſſam eius irent, excommunicatos eſſe dixiſſent.

Principia Ieſuitica ad corrumpẽdos diſcipulorum animos.

Inquiſitiones inſuper inſtitutæ fuere cõtra Alexandrum Haium Ieſuitam natione Scotum, qui publicè docuerat: Oportere [a] diſſimulare, & Regi ad tempus per ſimulationẽ obedire: hiſce verbis ſæpiſſimè vſus: *Ieſuita eſt omnis homo.* [b] Præterea hic Ieſuita accuſabatur, quòd ſæpè dixiſſet, ſe velle, *ſi Rex apud ipſorum collegium præteriret, vt ipſe è feneſtra in eum decideret, & collum eius frangeret.* [c] Quibus de cauſis Quæſtione Capitali contra eum inſtitutâ, & comperto, quòd quædam ipſius dicteria ante reductionem Pariſienſium edita fuiſſent, mitius aliquantò, quàm Guignardus tractatus fuit, vt ex ſequenti Arreſto apparet.

[a] Æquiuocationum & ſimulationum Diſſimulationumque Magiſtri Ieſuitæ.

[b] Omnis homo eſt mendax: ergo Ieſuita & mẽdax benè conuertuntur.

[c] Ieſuitarũ zelus ad occidendos Reges Euãgelicos.

EXTRACTVM EX REGISTRIS Parlamenti.

Viſo à Parlamento, magna Cameræ & Turriculæ cõſiliariis cõgregatis, proceſſu criminali formato & iuxta cõſuetudinẽ inſtructo, ad poſtulationẽ Procuratoris Generalis Regis petitoris, cõ-

tra Alexandrum Haium Presbyterum, de congregatione & Societate nominis Ieſu ſe dicentem, in carceribus cuſtodiarum Palatu captiuum; inquiſitionibus, Interrogationibus, & teſtium compoſitionibus, Concluſionib. Procuratoris Regis Generalis, dicto Alexandro Haio ſuper criminibus ipſi impoſitis & in dicto proceſſu contentis, coram Parlamento interrogato & audito, & omnibus conſideratis: Decretum eſt, quòd dictum Parlamentum, propter crimina in dicto proceſſu demōſtrata, dictum Haium è Regno Gallico in perpetuum relegauit & relegat, ipſi iniungens, vt Relegationem ſuam obſeruet, pœnâ ſuſpenſionis & ſtrangulationis ſine vlla alia Iudicii forma, indicta. Pronunciatum dicto Haio ad portulam dictorum carcerum propterea alligato, decimo die Ianuarii, Anno 1595.

Per alias inquiſitiones cognitũ eſt, quòd quidam Ieſuitæ, cum ex iis quæreretur, quare in Gallia manerent, cum ſoli Papæ obedientiam & fidelitatem iurarint: reſponderint, votum ſuum per hanc immorationem in Regno non violari, quoniam Breue aliquod à ſua ſanctitate accepiſſent, quod ipſis tempori obſequi permitteret.

Ieſuitę nullius Regis Principis aut Magiſtratus, quàm ſolius Pontificis mandatis parêre ſe debere putant.

Per Inquiſitiones præterea Biturigibus transmiſſas & 7. Ianuarii habitas cōpertum eſt, quendam, cui Franciſco Iacobo nomen, *Ieſuitarum in dicta vrbe ſcholarem, iactaſſe, quòd Regem occidere vellet, niſi eum iam mortuum, & ab alio quodam occiſum exiſtimaret.*

Per

Per Inquiſitiones inſuper Lutetiæ inſtitutas cognitum eſt, quòd in iſto Ieſuitarum Collegio plurima themata, anagrammata & carmina contra honorem Regis compoſita fuerint, non abſimilia iis, quę apud Ioh. Caſtellum parricidam inuenta & in ſcriptis Guignardi Ieſuitæ recitata fuêre.

Vltra hæc compertum fuit, multos pueros à Ieſuitis, qui eos parentibus ſuis rapuerant, ſeductos fuiſſe, quô in Regiones longinquas ſecum abirēt. Præſertim inſtitutus eſt proceſſus contra quendam Iohannem Belum ſcholarem, qui non ita pridem literis in Collegio Claremontano operam dederat, quòd Franciſcum Veroneum ſcholarem Pictauienſem, literis operam dantem, *contra Patris M. Pregentii Veronei in Parlamento procuratoris voluntatem, ſeducere conatus eſſet, vt Ieſuitas, contra inhibitiones per Arreſtum Parlamenti factas, extra Regnum ſequeretur.* Præterea idem Belus accuſatus fuit, quòd plurimas lectiones & compoſitiones in Societate Ieſuitarum dictatas, & ab ipſo cum in eorum collegio eſſet, exceptas, reſeruaſſet, & apud ſe cuſtodiuiſſet, in quibus *plurima præcepta damnata de Regibus occidendis, & approbatio & laudatio execrandi illius parricidii in defunctum Regem deſignati continerentur*, vt ex Arreſto inferius tranſcripto manifeſtum eſt.

Ieſuitę puerorum Plagiarii, & doctores inobedientiæ atque rebellionis in Parentes.

EXTRACTVM EX REGISTRIS Parlamenti.

Viſo à Parlamento proceſſu criminali, per quendam eius Conſiliarium, cui hoc negotiũ commiſſum fuit, facto & formato, ad poſtulationem Procuratoris Generalis Regis petitoris, contra Iohannem Belum Scholarem, qui non ita pridem in hac vrbe in Collegio Claremontano literis operam dedit, in carceribus cuſtodiarum Palatii captiuum: Interrogatoriis ſuper certis literis, & aliis ſcriptis, quæ à ſe ſcripta agnouit, ipſi factis, Concluſionibus Procuratoris Generalis Regis, dicto Iohanne Belo coram Parlamento ſuper criminibus ipſi impoſitis audito & interrogato, & omnibus conſideratis: Decretum eſt, quòd Parlamentum, propter crimina in dicto proceſſu demonſtrata, dictum Ioh. Belum damnauit & damnat, vt amendam faciat honorabilem, in magna eius camera, Iudicibus pro tribunali ſedentibus, caput & pedes nudus & induſio tantum indutus, facem ceream duorum pondo ardentem in manu tenens, & ibi in genibus ſubſidens dicat & declaret, quod temerariè & malo conſilio Franciſcum Veroneum Scholarem in Academia Pictauienſi literis operam nauantẽ pellicere & ſeducere voluerit, vt ſupradictos presbyteros & Scholares Collegii Claremontani & alios illorum ſocietatis, contra inhibitionem Parlamenti, extra Regni limites ſequeretur. Et præterea, quod imprudenter ſeruarit & cuſtodierit,

multas

multas lectiones & compoſitiones per quoſdam dictæ Societatis dictatas & ab ipſo exceptas & propria manu in dicto Collegio Claremontano ſcriptas, multas doctrinas damnabiles de regibus trucidandis, & approbationem ac laudationem deteſtandi & nefarii parricidii in Rege Anteceſſore Henrico III. feliciſſ. mem. commiſſi continentes: Horum verò ſe pœnitere, & gratiam ac condonationem à Deo, à Rege & à Iuſtitia precari. Hiſce peractis eum in perpetuum è Regno Galliæ relegauit & relegat, ipſi iniungens, vt hanc Relegationem obſeruet, pœnâ ſuſpenſionis & ſtrangulationis, ſi deprahendatur, ſine vlla alia Iudicii forma, indictâ. Declarauit & declarat, vt omnia ipſius bona in fiſcum Regium redigantur, ex quibus in primis centum coronati ad reparationes neceſſarias cuſtodiarum Palatii ſumantur & impendantur. Decretum in Parlamento 21. Martii, & pronunciatum dicto Belo, ac executioni mandatum in magna camera dicti Parlamenti 10. die Aprilis, Anno 1595.

Vnde cognoſcitur, quàm iuſtiſſimè Arreſtum illud contra Ioh. Caſtellum parricidã & Ieſuitas, pro Regis ſalute, pro Regiæ Maieſtatis conſeruatione, pro ſtatus & totius populi Gallici ſecuritate, decretum ſit.

Nihil hîc, vt vides, Becane, ſub aut obreptitiè, aut odio cult⁹ Romani, multò minus fauore Euãgelicorũ factũ eſſe, dicere Ieſuitæ poſſunt. Totus.n. ille Senat. Catholico-Rõ.

erat: Cæterum, vt antea ſemper, & Regnum ipſum & Eccleſiæ Gallicanæ libertates cõtra quotidianas Romani Pontificis vſurpationes tuitus erat, ſic etiam tum contra Ieſuitas, velut periculoſiſſimos eiuſdem exploratores, libertatum interuerſores, & Regũ ſicarios, Regis ſui Regniq; Gallici & maieſtatẽ & libertatẽ inuiolatam conſeruare voluit. Vnde etiam idem Senatus, ſuperioribus, licèt maximè ſolennib. iudiciis, nondum cõtentus, quod illa ex more inter Acta relata cum tempore labili populi memoriæ excidere ſoleant, aliud deinceps, ſecundum ea quæ 10. mẽſis Ianuar. 1595. decreta fuerãt, ad æternam tam ſalutaris iudicii memoriam, publicum duriſſimo marmori monumentum inſculpi curauit.

Teſtimonium Æuiternum curiæ Parlamenti Pariſienſis de Hęreſi, rebellionibus & Parricidiis Ieſuiticis.

D. O. M.

PRo ſalute HENRICI IV. *clementiſſimi & fortiſſimi Regis, quẽ nefandus Parricida perniciosiſſimæ Factionis hæreſi peſtifera imbut⁹, quæ nuper abominãdis ſcelerib pietatis nomẽ obtẽdẽs, vnctos Domini viuas Maieſtatis ipſius imagines occidere populariter docuit, dum confodere tentat cæleſti numine ſceleſtam manũ inhibente, cultro in labrũ ſuperius delato & dentium* [a] *occurſu feliciter retuſo, violare auſus eſt; Ordo ampliſſimus, vt vel conatus tã nefarii pœna terror, ſimul & præſentiſſimi in optimũ Principem & Regnum, cuius ſal⁹ in eius ſalute poſita eſt, diuini fauoris apud poſteros memoria extaret, mõſtro illo admiſſis equis mem-*

[a] Vt Franciſc⁹ de Verona Conſtantinus Heroicum hoc factũ

membratim diſcerpto, & flammis vltricibus cõſumpto, Ædes etiam, vnde prodierat, hîc ſitas, funditus euerti, & in earum locum ſalutis omnium ac gloriæ ſignum erigi decreuit.

Sacrarum Literarum authoritate laudet, Pſalmi Dauidici verſum huius Apologiæ præſcribit: *Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum, molas Leonum confringet* Dominus. Vti & Robertus Bellarminus Parricidium Henrici III. à Iacobita patratum oratione à Sixto V. Pontifice in conſiſtorio probatum fuiſſe, non diffitetur, *quid*, inquit *in ea reperies, niſi laudes & admirationem Sapientiæ & Prouidentiæ* Dei?

Sed ille ipſe vrbis *P*ariſienſis Magiſtratus populusque, quos ipſi *P*ontifices, Hiſpani, imo & vos ipſi à *R*eligionis zelo, præ cæterarum omnium Regni Gallici vrbium ciuibus commendatis, illis ſuperioribus nondum contenti, Senatus ſupremi iudicium & monumentum ſuo quoque Elogio publico comprobare voluerunt, in hunc modum:

D. O. M.

SACRVM.

Teſtimonium vrbis Pariſienſis in Ieſuitas.

QVum Henricus Chriſtianiſſimus Francorum & Nauarræ Rex bono Reipubl. natus, inter cætera victoriarum exempla, quibus tam de tyrannide Hiſpanica, quam de eius factione priſcam Regni huius Maieſtatem iuſtis vltus eſt armis, etiam hanc vrbem & reliquas Regni huius penè omnes recepiſſet: ac denique felicitate eius inteſtinorum Franciæ nominis hoſtium

furorem prouocante, Iohannes Petri F. Caſtelli ab illis ſummiſſus ſacrum Regis caput cultro petere auſus eſſet, præſentiore temeritate, quã feliciore ſceleris ſucceſſu: ob eam rem ex Ampliſſ. Ordinis conſulto, vindicata perduellione, diruta Petri Caſtelli domo, in qua Iohannes eius Filius inexpiabile nefas deſignatum patri communicauerat, in area æquata hoc perenne monumẽtum erectum eſt, in memoriam eius diei, in quo ſeculi felicitas, inter vota & metus vrbis, Liberatorem Regni, Fundatorem publicæ quietis à temeratoris infando incepto, Regni autem huius opes attritas ab extremo interitu vindicauit, pulſo præterea totâ Galliâ hominũ genere nouæ ac maleficæ ſuperſtitionis, qui Remp. turbant, quorum inſtinctu piacularis adoleſcens dirum facinus inſtituerat.

S. P. Q. P.

EXtinctori peſtiferæ factionis Hiſpanicæ, incolumitate eius & vindicta parricidii læti, Maieſtati eius deuotiſſ.

Hæc, Becane, *R*egis Chriſtianiſſimi authoritate incepta, Senatus Catholico-Romani cognitione pleniſſimâ ita diiudicata, eiuſdemq; & Senatus *P*opuliq; Pariſienſis monumentis indubitatis æternitati commendata, impudentiſſimi veſtri præuaricatores vllo ne modo negare audebunt? cum in ore duorum aut trium conſiſtat omne verbum? Sed ne hæc ſubito animi motu à potentiſſimo Rege & Auguſtiſſimo Senatu facta eſſe dica-

catis, En habetis & alia quædam Arreſta, uæ longo poſt interuallo priora ex ſimili- s cauſis ſunt conſecuta, & vniuerſam ve- ram ſocietatem nullo modo in benè con- ituto Regno tolerandam eſſe, declarant.

Vt autem Pontifex per Hiſpanos mari itanniam Minorem, & terrâ Picardiam, et Sabaudum Burgundiam & Delphina- um, per Ieſuitas limites Regni clandeſtinis achinationibus aggrederetur, & Rex ipſe emetipſum Hiſpanis circa Ambianum, Le- egerium Sabaudo, aliosq; aliis ſuis hoſtib. d Regni tuitionem obiiceret: Curia *P*arla- enti Pariſienſis ſubdolorum quorundam onatuum, quibus Ieſuitæ, mutatis nomini- us & veſtibus, ſe aduerſus Regia interdicta n regnum intrudere nitebantur, certior fa- a, ad petitionem procuratoris generalis rreſto omnibus perſonis prohibuit, ne lu- i literarii publicè priuatimque exercendi ratia aliáve de cauſa, ſub prętextu abiuratę riſtinæ profeſſionis Ieſuitas reciperent.

EXTRACTVM EX REGIſtris Parlamenti.

POſtquam procurator Regis Generalis oſtendit ac demonſtrauit, ſe certiorem eſſe factum, uod quidam eorum, qui antehac è ſocietate illa enomine Ieſu dicta, tam in Collegio Claremōta- o huius vrbis Pariſienſis, quā in aliis huius Re- ni locis fuerūt, in plures vrbes, p̃ſertim limitaneas

Ieſuitæ prohibentur ſcholas & prędicationes inſtituere.

Ieſuitæ vt peſtiferas ſuas doctrinas maiore cum fructu propagare poſſint, ſe in alias formas mutant.

rediuiſſent, vbi conſtituendarum Scholarum & prædicandi cauſa, ſub prætextu, quod priſtinam, vt præ ſe ferrent, prætenſi Ordinis & ſectæ illius Societatis profeſſionem abiuraſſent, reciperentur: Ex quo periculum foret, ne iuuentus per prauarum doctrinarum blanditias & illecebras corrumperetur, & populus falſis prædicationibus circumueniretur: quodque, ſi toleraretur, Arreſtum Curiæ 29. Decembris, Anno 1594. declaratum, contemptui & illuſioni exponeretur: ea de cauſa requiſiuit, vt omnibus perſonis, corporibus & communitatibus, officialibus, & priuatis, cuiuſcunque ſint qualitatis aut conditionis, mandaretur, ne quenquam eorum, qui de dicta nominis Ieſu ſocietate ſe dicunt, ſub prætextu cuiuſcunque abiurationis, quam feciſſent, aut facere poſſent, ſiue ſcholarum vel publicè vel priuatim conſtituendarum, ſiue in Eccleſiis prædicandi, ſiue quacunque alia de cauſa, reciperent, aut recipi paterentur, iis qui illos receperunt, recipient, aut tolerabunt, quod læſæ Maieſtatis rei & conuicti declarandi ſint, pœnâ indictâ: Ieſuitis etiam, iis, quæ in dicto Arreſto continentur, ſuppliciis propoſitis. Dicta curia, deliberatione ſuper hac materia habita, decreuit ac decernit, vt dictum Arreſtum 29. Decembris, Anno 1594 promulgatum, ſecundum formam & tenorem ſuum, executioni mandetur, & iuxta illud mandauit & mandat omnibus perſonis, corporibus & communitatibus Ciuitatum, Officiariis & priuatis, cuiuſcunque ſint qualitatis aut conditionis, ne quenquam

Preſ-

Presbyterorum aut ſcholarium de ſocietate nominis Ieſu ſe dicẽtium, quamuis etiam priſtinum Profeſſionis ſuæ votum abiurarint, eique renunciarint, ſiue Scholarum publicè priuatimve conſtituendarum, ſiue quacunque alia de cauſa recipiant, aut recipi patiantur: iis, qui ſecus facient, quod læſæ Maieſtatis rei & conuicti declarari debeant pœnâ indictâ. Iniunxit & iniungit Diœcetis & Præfectis, aut ipſorum locum tenentibus, vt executioni præſens hoc Arreſtum mandari faciant; Gubernatoribus Vrbium, vt manum huic rei admoueant: & ſubſtitutis dicti Procuratoris Generalis, vt diligentiam in his adhibeãt, & Curiam intra decimum quintum diem certiorem reddant, pœna proprio nomine reſpondendi propoſita. Factum in curia 21. Auguſti, Anno 1597.

Signatum Bodin.

Extractum ex Regiſtris Parlamenti.

De die Iouis, 16. Octobris, 1597.

Arreſtum Curiæ Pariſienſis contra Ieſuitas Lugdunenſes.

HOc die, quum *Mario loco Procuratoris Generalis Regis in Camera Vacationum dixiſſet, quod iuxta illius decretũ ipſi in manus Balonii Procuratoris in Parlamento, & Procuratoris Præfectorum Mercatorum & Buleutarum Ciuitatis Lugdunenſis obteſtationes illas tradidiſſent, quæ in conuentu generali in curia*

municipali dictæ vrbis Lugdunenſis 20. Septem. proximi habito recitata, & per illos dicto procuratori generali tranſmiſſæ fuerunt, ſuper executione Arreſti 21. Auguſti proximi die decreti, per quod omnibus perſonis, corporibus & communitatibus, quenquam presbyterorum & Scholarium de Societate nominis Ieſu ſe dicentium recipere prohibitum fuit, licèt etiam priſtino profeſſionis ſuæ voto renunciaſſent illudq́ abiuraſſent, ſub pœnis in eo contentis. Cui etiam Ballonio proximo die Martis iniunctum fuiſſet, vt conſilium dictorum præfectorum Mercatorum & Buleutarum certius faceret, & hoc manè adeſſet: Ballonius iſte ea de re in dicta Camera auditus fuit, qui dixit, ſe hoc decretum M. Bartholomæo Thomæ dictæ Ciuitatis Lugdunenſis Secretario in hac vrbe tam præſenti notum feciſſe, qui ſe nulla memoralia & inſtructiones ea de re habere ſibi reſpondiſſet. Et cum dictus Ballonius iuſſu dictæ Cameræ illas obteſtationes prælegiſſet, & Mario; loco procuratoris generalis, eas propter rationes ab ipſo deductas nulla conſideratione dignas eſſe dixiſſet: Requirens ſimul, vt, iis non obſtantibus, dictum Arreſtum 21. Auguſti declaratum in vrbe Lugdunenſi executioni mandaretur. præſertim quantum id Porſanum in dictis obteſtationibus denominatum attineret. Et vt nihilominus Porſanus ille, antequam cum executione contra ipſum procederetur, captiuus in cuſtodias Palatii duceretur, iuxta Arreſtum de ipſo in vincula coniiciendo per dictam Cameram decretum:

quo

quo iuxta crimina & informationes contra i-pſum factas proceſſus aduerſus eum formaretur, & perficeretur: mandato ſimul ſubſtituto Procuratoris generalis iis in locis dato, vt omnem diligentiam adhiberet: ac præter auxilio Præfectis Mercatorum & Bulentarum, ad Principalem & Regetem Catholicum doctum & virtutibus præditum. Inſtitutioni Iuuentutis in dicta vrbe Lugdunenſi inueniendum, oblato. Illis digreſſis, re in deliberationem ſumptâ:

Dicta Camera, nullo dictarum obteſtationum habito reſpectu, decreuit & decernit, vt dictum Arreſtum 21. Auguſti proximi declaratum iuxta formam & tenorem ſuum in vrbe Lugdunenſi executioni mandetur: præſertim quãtum ad dictum Porſanum attinet, quem in iſto comprahendi declarauit & declarat. Et nihilominus, iuxta Arreſtum 25. Septembr. ſtatuit, vt Porſanus iſte capiatur, & captiuus in cuſtodias Palatii ducatur: quo de iis, quæ in informationibus ante hac factis continentur, interrogetur & audiatur; & contra eum, prout ratio poſtulabit, procedatur: Iniunxit & iniungit ſubſtituto dicti procuratoris generalis in Municipio & ſede præſidiali Lugdunenſi, vt Arreſtum hoc præſens executioni mandari faciat, & Curiam Parlamenti de ſua diligentia intra menſem certiorem reddat. Et quantum ad adminiſtrationem & directionem Collegii dictæ vrbis Lugdunenſis attinet, ei de principali, Rectore & aliis perſonis idoneis & capacibus, prout ratio poſtulabit, proſpicietur.

Et præſens hoc Arreſtum ex vi Extracti illius executioni mandabitur.

Signatum Tillet.

A Iudiciorum horum ex longo temporis interuallo contra Ieſuitas publicatorum continuatione facilè vnusquiſque concludet, ea non leui animorum motu, ſed maturâ præhabitâ deliberatione prolata fuiſſe, atque ipſam Curiam in ea tanquam iuſtiſſimâ atque vtiliſſimâ conſtantem permanſiſſe, quod etiam Arreſtum Curiæ Parlamenti, 18. Auguſti, Anno 1598. contra Dominum Touronẽſem integro anno euoluto prolatum teſtatur, quo ſimul omnibus perſonis, Scholares ad Collegia Ieſuitarum, quocunque ſint in loco, literarum cauſa emittere prohibetur.

Arreſtum Parlamenti Pariſienſis contra Comitem Touronenſem, Ieſuitas in ſuo territorio defendentem.

HEnricus, Gratia Dei, Galliæ & Nauarræ Rex, omnibus, qui literas præſentes videbunt, ſalutem. Notum facimus, quod ſuper iis, quæ Procurator noſter generalis, à Magiſtro Ludouico Seruino & Simone Marione Aduocatis noſtris adiutus, Curiæ noſtræ parlamenti per dictum Seruinum oſtendit, quod ſcilicet per Arreſtum primo Octobris ſuperioris die publicatum Dominus Touronenſis condemnatus fuiſſet, vt Presbyteros & Scholares de Societate nominis Ieſu ſe dicentes, intra duos menſes, pro vltima dilatione ipſi à ſignificatione præfixos, è finibus

& limitibus vrbis & Dominii Touronenſis diſcedere & abire faceret, & vno menſe poſt. ſub pœnis ibi conſtitutis, dictam noſtram Curiam certiorem redderet: quodq́ id Arreſtum dicto Touronenſi in hac vrbe Pariſienſi vndecimo dicti menſis Octobris perſonaliter ſignificatum fuiſſet: & ille tamen nihilominus non ſatisfeciſſet neq; obediuiſſet. Quod etiā ipſe, dictus noſter procurator generalis, certior factus eſſet, multos ſubditorum noſtrorum, contra inhibitiones per Arreſtum 29. Decembris, Anno 1594. promulgatum factas, liberos ſuos in dictam vrbem Touronenſem & Pōtamouſonium, & in alias regiones & loca, tam intra quam extra Regnum, ad Collegia dicta pretēſæ Societatis nominis Ieſu, ſtudiorum & inſtitutionis cauſa emiſiſſe, vnde plurima & notabilia mala & pericula metuenda eſſent: præſertim cum iſti presbyteri & Scholares dictæ prætenſæ ſocietatis, poſt dictum viceſimi noni Decembris Arreſtum, non ſolum damnabilem, & per illud reprobatam doctrinam continuauerint, verum etiam alias nouas & magis abominandas doctrinas & inſtitutiones, quas vbiq;, inprimis in Regno noſtro per libros execrandos ſpargunt, prioribus adiecerint: Et propterea poſtularet, vt dictus Touronenſis pœnas in dicto primi Octobris Arreſto conſtitutas incurriſſe declaretur, & inhibitiones in Arreſto 29. Decemb. Anno 1594. declarato contentæ reiterarentur, & denuò publicarentur, commiſſione inquirendi data in eos, qui contraueniſſe inuenirentur: & vt omnes illi, qui, poſt illud, apud

Præcepta & ſcripta Ieſuitica noua improbatæ & abominandæ lectionis.

prætenſos illos dicta Societatis, aut in ipſorum collegiis, quocunque ſint in loco, literis operam dediſſent, priuilegiis Academicis priuarentur, & gradus, quos obtinuiſſent, aut quos poſtmodum in quacunq; Academia obtenturi eſſent, pro nullis, nullius momenti & valoris declararentur. Viſis dictis Arreſtis 29. Decembris, 1594. & primo Octobris proximi declaratis, vna cum actione ſignificationis illius vndecimo dicti menſis Octobr. facta, ſimul etiam Arreſtis 21. Augusti & 16. Octobris proximi editis: Re in deliberationem adducta:

Dicta NOSTRA CVRIA, concluſionibus procuratoris noſtri generalis conſideratis, per Arreſtum ſuum dictum Touronenſem pœnas in dicto primi Octobris Arreſto conſtitutas incurriſſe declarauit & declarat: Decreuit & decernit, vt omnia ipſius bona occupentur, & in noſtram poteſtatem redigantur: Iniunxit & iniungit noſtri Domanii Quæſtoribus, ſingulis in eo, quod ſui eſt officii, vt fructus & prouentus recipiant, & de iis, vt & de aliis acceptorum ſuorum pecuniis, rationem reddant, iuxta deſignationes quæ per Theſaurarios Galliæ fient, & quas illi in manus dictorum Quæſtorum tradent. Et Officialib. earum terrarum, quæ occupabuntur, ſiue clientelari iure, ſiue iuriſdictione nobis obſtrictæ ſint, vt dictam iuriſdictionem noſtro nomine exerceant: ſub pœna, quod proceſſus, quicunq; in alia quam noſtrorum Officiariorum qualitate ab ipſis fient, pro nullis haberi, impenſæ, damna & verſura par-

tium

tium ipſorum proprio & priuato nomine facta eſtimari, & ipſi cuiuſcunq; officii noſtri, aut alius muneris publici incapaces declarari debeant. Statum & officium præfecti Auuergnęſis, quo dictus Touronenſis ornatus fuit, vacans & impetrabile: & eum Touronenſem illius gerendi aut exercendi incapacẽ & indignum declarauit & declarat. Mandauit & mandat vicariis & officialib. dictæ præfecturæ, ne ipſi vllum ingreſſum aut dignitatẽ in ſuis ſedib. permittant: & omnibus noſtris ſubditis, vt ipſum pro tali agnoſcant: Notariis, ne vllas commiſſiones, ſententias, & alias actiones in ipſius nomine amplius concipiant: Omnib. Rationalibus, ne ipſi vlla ſtipendia aut iura propter dictum officium ſoluant: omnia ſub pœna repetẽdorum dictorum ſtipendiorum & iurium, priuationis officii, amẽdarum arbitrariarum, & aliarum maiorum mulctarũ, ſi ſecus actum fuerit. Et præterea mandauit ac præcepit, mandat & præcipit omnibus perſonis, ne ſcholaſticos ad collegia dictæ prætenſæ ſocietatis, quocunq; tandem in loco & regione ſint, ſtudiorum cauſa emittant: pœnis, quæ in dictis Arreſtis continentur, indictis, quæ denuò locis & regionibus conſuetis publicabuntur, quò omnibus innoteſcant. Et dicto noſtro procuratori generali negotium in ea quæ ſecus agentur inquirendi committetur, vt informationibus in dicta Curia noſtra factis, per eandem aduerſus contrauenientes, prout ratio poſtulabit, procedatur. Et de præſenti decreuit & decernit, vt omnes noſtri ſubditi, qui in collegiis dictæ præten-

Ad Ieſuitarum Collegia nulli Gallorum licet liberos ſuos mittere, ſub pœna criminis læſæ Maieſt.

ſæ ſocietatis, vel intra vel extra Regnum, poſt Arreſtum 29. Decembris, Anno 1594. decretum, informati aut inſtituti fuerunt, nullis priuilegiis Academicis, tanquam graduum incapaces, fruantur. Gradus etiam, quos iam obtinuerunt, aut in poſterum in quacunq; Academia obtinebunt, nullos, nullius momenti & valoris declaramus, vt ratione eorum nec docere, nec officiis ornari, nec beneficiis graduum affici, nec in dicta Curia noſtra aut aliis quibuſcunque locis pro Aduocatis recipi, nec vllis iuribus, prærogatiuis & præeminentiis, fructibus, commodis aut emolumentis dictorum graduum frui poſſint. Decernit dicta noſtra Curia, vt præſens Arreſtum in omnibus municipiis & præfecturis promulgetur: iniungit ſubſtitutis dicti procuratoris noſtri generalis, vt executionem eius perſequantur, & dictam Curiam certiorem reddant de iis, quæ contra dictum vigeſimi noni Decembris, Anni 1594. Arreſtum agentur, ſeſe informent: & informationes intra duos menſes ad Grapheum mittant, pœnâ illis proprio & priuato nomine reſpondendi propoſita. Sic ex Decreto dictæ noſtræ Curiæ mandamus omnibus Diœcetis, præfectis, aut ipſorum locum tenentibus, ſingulis in ſua Diœceſi & præfectura & ſuo loco, ad quos hoc pertinebit, vt præſens Arreſtum iuxta formam & tenorem ſuum debitæ & integræ executioni mandent: omnes eos, qui ad hoc cogendi ſunt, modis & mediis debitis & æquis cogentes. Mandamus omnibus, vt hiſce, ſicuti decebit, obediant. Datum Pariſiis, in

Par-

Parlamento noſtro, 18. die Auguſti, Anno gratiæ 1598. Regni noſtri decimo.

Signatum per Cameram

Tillet.

Et ſigillatum ſimplici caudâ & cerâ flauâ.

Quomodo Illuſtriſſimi Senatus Veneti (quem veſtri Becane Catholico-Romanũ eſſe negare non audent) ſolenni decreto, ob ſimiles cauſas, vos in toto illorum Imperio contricti ſitis, in recenti memoria eſt.

A Pontificiorum itaque decretis Euangelicorum teſtimonia (quo pluribus, iiſque ampliſſimis certiſſimiſque probationibus proditionis & Perduellionis vel conuincamini, vel veritate ipſa obruamini) & primum quidem ad ſereniſſimæ Elizabethæ, Angliæ, Hyberniæ, & Franciæ Reginæ (tantę enim Principis teſtimonio fidem non denegabitis) edictum accedamus.

SERENISSIMÆ PRINCIPIS Eliſabethæ, Angliæ, Franciæ, Hyberniæ Reginæ inuictiſſimæ, fidei Apoſtolicæ defenſatricis EDICTVM contra Ieſuitas & Sacerdotes ſeculares, Anno Domini 1602. die 15. Nouembr.

CVm beneuolentia ea, qua cuiuſuis ordinis ſubditos noſtros cõplexi ſumus, quamque in intimo pectore penitus infixam eſſe ſenſimus, nos ab extrema earum legum executione, quæ ſancitæ

fuerunt Comitiorũ regni noſtri decretis ad Religionem orthodoxam propugnandam: & ſeductores omnes (præſertim ab exteris ad nos aduolantes) & illos qui eiuſmodi ſubſidiũ præbent, propulſandos, magis aliquandiu abſtraxit, quam vel ſtatus noſtri ſalus ferre, vel principum aliorum (a quib. vna religionis profeſſio ſemper culta & obſeruata eſt) exempla, legitimè approbare poſſint: Idcirco in ſpem maximam deuenimus, fore, vt ſacerdotes illi pontificii, qui externa [1] *autoritate permoti, in hoc Regnum ingreſſi ſunt, quo populum à veræ Religionis, adeoq; fidelis erga nos ſubiectionis ſtudio abducerent: vellent tadem (præſertim iam antea experti legum noſtrarum ſeueritatem) vel experientiâ clemẽtiæ noſtræ adducti, vel iudicii ſui normâ edocti, à priſtina ſua improbitate auocari: nec irritare animũ noſtrũ denuò, & extremum illis ſupplicium infligẽdum intendere. Etenim poſtquam nos tãtæ tamq; miſeræ ſeductionis illorum miſerti, tanta illos cum lenitate tractauimus: illi cõtra clementiæ noſtræ penitus obliti, noſtrum, regniq; noſtri interitum machinati ſunt. Nemo. n. non nouit regem* [a] *Hiſpaniæ, regnum Hiberniæ noſtrũ nuper perquam malitioſe inuaſiſſe*, & Don Giouan *(qui in illo exercitu ſummus dux & imperator cõſtitutus erat) diploma illud à ſede* [b] *Rom. acceptũ, audacter animoſeq; promulgaſſe: cuius auctoritate ſcil. nobis regno abdicatis atq; detruſis, eius dominus rex renunciatus eſt. Huius verò ſui tam inauſpicati & infelicis molimінis, Ieſuitas* [c] *cum ſociis*

1 Ieſuitæ externa, i. pontificia autoritate exciti, pietatem & obedientiam veram ſubditorũ corrumpũt & euertunt, & alienorũ regnorum euerſiones moliuntur.

a Hiſpaniæ Regis in Hyberniæ regnum conatus.

b Pontifex Rom. Regna Euangelicorum, Catholicis Roma. donat.

c Ieſuitæ cũ ſociis ſuis ſecularib. quid contra Angliæ Regnum moliti.

eius ſuis ſecularibus ſacerdotib. ſuaſores & veluti buccinatores extitiſſe, vel ipſi Hiſpani in maximas tum redacti anguſtias, non modò liberè dixerunt. verum etiam queribundi multoties dolenter deplorarunt. Regem enim Hiſpaniæ in eam mentem adduxerunt, vt vires noſtras crederet tam anguſtas, tamque prorſus abiectas, partes verò ſuas tantas, tamq; vndiq; corroboratas fuiſſe, vt victoriam ipſam ſibi ſpe certiſſima polliceretur. Deinde futuræ iſtorũ ergan's obedientiæ integræ, ſpem omnem nobis penitus eſſe ſublatam, non dubitauimus, quin ferè maximæ parti Europæ, vel ex ipſorum ſcriptis recèns editis & diuulgatis, iam ſatis conſtiterit: nimirum eos ad hoſtium noſtrorũ laudem prædicandam & amplificandã, ſubditos verò noſtros in partes aduerſarias pertrahendos, deniq; ad interitum ſtatus noſtri perpetuum machinandum, conſenſu maximo, vel intra regnum noſtrum nequiter & malitioſe conſpiraſſe Quid enim? ſacerdotes ſeculares plerią; omnes nouæ ſubordinationi à Pontifice ſibi imperatæ, ſeſe penitus addixerunt. ſeque totos conſiliis Ieſuitarum (qui homines Regis Hiſpaniæ partib. ſemper deuotiſſimi à ſubiectione noſtra prorſus abhorruerunt) regẽdos tradiderunt. Hinc factum eſſe arbitramur, quod vtriuſq; ſectæ homines timore erga Deum æternum, erga nos Principẽ legitimam obſequio, deniq; erga matrem ſuam germanam, Regnum noſtrum, pietate excuſſa atq; abiecta, cõiunctiſſimis animis nũc (ſi tamen magis potuerint) magis præfracti & pernicioſi q̃. antea vnquã euaſerunt. Eò nãq; peruerſitatis atq; improbitatis prõperũt,

Ieſuitæ alienorum regnorum exploratores.

Ieſuitæ, licèt ſatellites ſint Pontificum. Regi tamẽ Hiſpaniæ tanquam ſupremo eorundem executori, deuotiſſimi ſunt.

Ieſuitæ Rebellionum & factionum in alienis Regnis concitatores, in gratiam pontificis & ſociorum.

c Ieſuitarum arrogantia & in arcanis Regnorum explorandis curioſitas.

vt ſubditis noſtris iam penè perſuaſerint, arma eos contra nos ſuſcipere debere, & copias ſuas cum hoſte quouis coniungere, quem Papa ſub prætextu reſtituendæ Religionis Romanæ, ad Regnum noſtrum ſubiugandum miſerit. Præterea tam eſt proiecta & profligata eorum c *arrogantia, vt non ſint veriti in omnibus Regni negotiis ſe immiſcere, & verbis ac ſcriptis ſuis, de Regno & Corona noſtra pro animi ſui libidine decernere. Et ſi quis fortè ex iis, ceu moderationis ingenii, conſcientiæ ſuæ ductu permotus, Gubernationis noſtræ æquabilitatem cœperit agnoſcere, hic dignus inprimis illis viſus eſt, quem hoſtili odio perſequantur. Quin etiam, ne hoc hominum genus improborum temporis diuturnitate poſſit extingui, quoddam quaſi Iuuentutis monopolium exercuerunt, ſummæ indolis iuuenes aucupantes, & ad exteras ſcholas tranſmittentes, quo nobiliſſimæ familiæ ipſorum inficiantur veneno, & Rebellionis fax atq; progenies nobis infeſtiſſima perpetuò alatur. Porrò ex acerrimis & acerbiſſimis diſſidiis, quæ non ita pridem inter Ieſuitas, illiſq; adhærẽtes ſacerdotes ſeculares, cum aliis quoq; ſecularib. presbyteris interceſſerũt, rationes offenſionum, quas vtriuſq; ſectæ homines contra nos, Regnumq; noſtrũ conceperunt, diuerſæ emerſerunt: nimirũ, Ieſuitas omnes cum ſociis ſuis cõiuratis presbyteris ſecularib. eò cogitationes ſuas omnes contuliſſe, vt principes exteros nõ modò ad oc-*

Ieſuitæ iuuẽtutis corruptores & plagiarii.

Ieſuitæ Rebellionis doctores.

Ieſuitæ excitant Reges Pontificios ad Euangelicorum Regna occupanda, & ad ipſos reges occidendos.

occupandũ Regnũ noſtrũ, verumetiã ad nos ipſos occidendũ excitarent, reliquos verò ſeculares presbyteros a prioribus opinione magnopere diſtractos, non ſolum in aliorum propoſitum tanquam maxime execrandum & deteſtandum verbis ac ſcriptis ſuis liberè fuiſſe inuectos, verùm etiam non abnuiſſe ſanctè profiteri, ſe ſemper parauiſſimos fore, qui rebellionis huiuſmodi coniurationes ac tumultus omnes, vel primi prodere velint, armisq; propulſare.

Quapropter tametſi pro ea opinione, quam de his concepimus, in diſcrimine aliquo exigendi ab iis deſtinatum ex lege ſupplicium, propenſiorem erga hos voluntatem noſtram volumus oſtendere: tamen hi quoque ita ſunt in nos animati, itaque ſe gerunt, vt (quamuis natura noſtra alioquin ad miſericordiæ occaſionẽ vel tenuiſſimam amplectendam promptiſſima ſemper fuerit) nunc expectatio clementiæ cum regiminis noſtri dignitate, cum vtilitate ſubditorum, cum Regni ſecuritate diutius conſiſtere non poſſit. Cuius .n. manifeſtum eſt hos Ieſuitarum factionib. quamuis plurimùm aduerſantes, tamen in eadem animi obſtinatione conuenire. Namq; prætextu conſcientiæ (illudendi genus longe periculoſiſſimum) ſubditorum animos ad ſe pellicere conati ſunt, & ad [a] Papam, hoſtẽ nobis infeſtiſſimum pertrahere, vt hoc pacto partes aduerſariæ augeri & ſtabiliri, noſtræ verò conuelli atque labefactari poſſint: id quòd cùm Regimini noſtro perniciosum, tum ex legibus bene conſtitu-

[a] Ieſuitæ ſubditos à principum ſuorum amore, ad Pontificem illorum infenſiſſimũ hoſtem, ſeducunt.

ta Reipub. minimè ferendum eſt: Cum præſertim hic hoſtis more Principis ſecularis in aperta acie vexillum ſuum iam aduerſus nos extulit, atque erexit, aſſiduè noua ſtratagemata & artes bellicas contra nos inſtruens atque adornans. Præterea ſatis aſſequi, aut mirari non poſſumus (niſi fortè abuſu lenitatis noſtræ hoc contigit) quid tandem eos in eam impulerit amentiam, vt ſubditis ferè omnibus, tam bonis, qui grauatè id ferunt, quàm improbis, qui id ardenter & ſitienter exoptant, iam penè perſuaſerint, eo nos eſſe animo, vt vel in vno Regno religionis [a] *cultum duplicem facilè admittere velimus. Nouit autem* DEVS *Opt. Max. qui cordis noſtri receſſus intimos perſcrutatur, & cui ſoli hanc gratiam acceptam referimus, nos in iſtam ſententiam nunquam deſcendiſſe ne per ſomnium quidem, & ex iis qui nobis adfuerunt, neminem propoſiti huiuſmodi vel tenuiſſimam perſuaſionem nobis innuiſſe, qui mos ſi obtineat, pax Eccleſiæ & Status noſtri dignitas labefactetur neceſſe eſt.*

Deinde intelligimus (ex quo etiam magis emineat præceps eorum audacia) hanc eorum de Religionis ſuæ tolerantia ſpem, cum intolerabili licentia atq; impudentia eſſe coniunctam. Nam vel in ſumma luce prodire in publicum cœperũt, incarceratos palàm ſalutare, & (non ſine legum contemptu maximo) [b] *religionis ſuæ munia exequi & ritus celebrare. His* [c] *& alus modis, nullo modo ferendis, irritare non deſinunt legum vigorem,*

Pontifex vt Princeps ſecularis acies in ſtruit & ducere facit.

[a] Ieſuiticæ artes ad miſſam in Angliam introducẽdam. Religionis diuerſitas publicè in Anglia nũquam tolerata.

[b] Ieſuitarũ in Miſſa ſua introducẽda audacia.

[c] Religionis Romanæ tolerãtia arcana miultorum malorum in Anglia cauſ..

rem, qui (propter rationes iã expoſitas) aliquandiu quaſi conſopitus iacuit. Cum potius (ſi vnquam) nũc maximè præſcribere ſibi modum debuiſſent, ſeduloq; præcauere, ne clementiam tam ſingularem, (quæ nunquam niſi neceſſariò parere ſeueritati potuit) ſua tã inſigni inſolentia repellerent.

Porrò hoc, quòd ad iſtos homines ingratos nimiũ, parumq; conſideratos cõniuere quodãmodo videbamur, aliud quoq; malũ inuexit: videlicet, homines alii reb. nouis proni, & opinionib. ſuis addicti nimis eò prolapſi ſunt temeritatis, vt lenitatẽ noſtrã libellis ſuis pub. vehemẽtius exagitẽt, nobiſque negligẽtiæ notã inurãt, ac ſi ab ipſis ſolis religio ſuſtẽtata & propugnata eſſet. Hi, quod innocentiã noſtrã traducẽtes, piorũ animos offendunt (qui cũ pontificiæ ſectæ inimiciſſimi, tũ iſtorum petulcis ingeniis aduerſarii ſunt) certè non debẽt ferre impunè. Quin etiã vt Regni noſtri (cuiꝰ adminiſtrationis ratio omnis, Eccleſiaſtica & Politica Senatꝰ (quẽ Parlamentũ dicimus) conſultis & decretis cõmunib. ſanciri & confirmari ſolet) ſcandalis, periculis, incõmodis omnib. neceſſariò occurratur: Parlamenti Anglicani auctoritas tam in eccleſiaſticis quàm in Politicis. *miniſtri & officiarii noſtri omnes, quib. Reip. cura concredita eſt, admonẽdi ſunt, quã nobis vehemẽter diſplicuerit, quòd tantũ de officii ſui ſeueritate remiſerint, vt in apprehendẽdis pontificiis Sacerdotib. ex legib. ſibi imperatã diligentiã rarò admodũ præſtiterint. Nos igitur hæc noſtra monita atq; imperata publicè promulgari volumꝰ: in quib. rogamus & iubemꝰ Ieſuitas & cũ eis coniunctos & conſociatos presbyt. ſeculares omnes iã libertatẽ nactos, ex Dominiis & Territoriis noſtris quàm primùm* Ieſuitæ & Presbyteri ſeculares ex Anglia proſcripti.

diſcedere nec per importunam moram ſuam nos vehemētiꝰ incēdere velint, vt in ipſos ex rigore legis ſcelera ſua vindicemus. Sacerdotes quoq; alios Ieſuitarum impietatem nōnihil auerſantes, nunc in libertate conſtitutos, ante primum diem Ianuarii proximè ſubſequentis Regnis noſtris exulare mandamus. Illos tantū excipimus, qui ante diē indictum, Conſiliariorum noſtrorum cuiquam, aut Cambrienſi vel Eboracenſi præſidi, aut Diœceſium Epiſcopis præſentes ſeſe exhibuerint, & agnoſcentes ſuum erga nos obſequium, ad noſtram ſe clementiam receperint: de quorum ſubmiſſione intra dies viginti, per præſides & Epiſcopos vbi acceperimus, ita cum illis acturi ſumus ac pietas & æquitas ipſa poſtulauerit.

Deinde Ieſuitis & Sacerdotib. Pontificiis aliis omnibus, tam ſecularibus, quàm regularibus, ſiue in Regno ſiue extra regnū nunc agentibus, interdicimus, ne quouis prætextu in Regnum reuertātur. Niſi Ieſuitæ & qui ſe illis addixerunt ſeculares presbyteri ante dies triginta, reliqui verò ſeculares Sacerdotes à priorib. opinione diuulſi, ante primū diem menſis Februarii, poſtquam hoc edictum denunciatum eſt, portum aliquem maritimum petierint, nauemq; conſcenderint in Regiones exteras traiecturi, tum illos illisq; ſubſidium vllum exhibentes (vbi deprehendantur) miniſtris noſtris pro legum noſtrarū ſummo iure, pœnis afficiendos eſſe permittimus: idq; magiſtratib. omnibus, quib. Reipub. adminiſtratio demandata eſt, ex hoc noſtro Mandato ſignificamus. Quo etiam Regnum

noſtrum

noſtrum ab huius peſtis contagione facilius liberari poſſit: hoc Edicto præſidib. noſtris, vicepræſidibus, Commiſſariis, Iuſtitiariis, Prætoribus, Vicecomitibus, Baliuis, aliisq; cuiuscunq; ordinis Magiſtratib. omnib. ſeuerè præcipimus, vt in ſuo quisq; munere exequendo curam omnem & diligentiam adhibeant, locos omnes ſedulò perueſtigẽt ac perſcrutentur (qui vel ex opinione ſua, vel per ſignificationẽ aliorũ ſuſpicionẽ vllã afferant) & Ieſuitas & ſeculares presbyteros omnes apprehendant, & noſtris deniq; Conſiliariis rationẽ reddãt tandẽ, quàm probè ſuo munere ſint perfuncti, nec per negligentiam ſuam permittant, vt dum alios legũ periculo liberare velint, ipſi inuoluantur.

Hoc Chriſtianiſſimæ & Auguſtiſſimę Heroinæ teſtimonium ſubſequitur aliud non minus ſolenne, nimirum Ampliſſimi Curiæ Parlamenti Pariſienſis Senatus: qui cum Põtificem per Legatos & Nuncios ſuos veſtræ pernicioſiſſimæ & immaniſſimæ ſectæ reſtitutionem per Galliam moliri intelligeret, potentiſſimo Galliarum & Nauarræ Regi eam 24. Decembris An. 1603. neruosâ & veriſſimâ Oratione, quæ hîc ſubſequitur, diſſuadere conatus eſt: in qua nihil ab Ampliſſimo illo Senatu Ma^ti ſuæ repræſentatur, quod non euidentiſſima veritate niti & acta ſuperiora & ſcripta factaq; ipſiſſima veſtra & anteriora & ſequentia oſtendunt. Verba autem Orationis ex Gallico in Latinum fideliter translata, talia ſunt:

Oratio mãdatu Curiæ Parlamenti Pariſienſis, contra Ieſuitarum reſtitutionẽ comminationib. Pontificiis petitam, Regi Galliæ & Nauarræ per eiuſdẽ Deputatos recitata, quâ ſuccinctè omnia, quæ ſuperius oſtenſa ſunt, confirmantur.

Parlamenti veſtri Curia inſtituta deliberatione ſuper literis veſtris patentibus, de presbyterorũ & Scholarium Collegii Claremontani (qui Ieſuitarum ſibi nomen indidère) in quibusdam huius iurisdictionis locis reſtauratione, decreuit: vt humilima obteſtationes veſtræ Ma[ti] *fierẽt, ac nobis mandauit, vt quædam vobis puncta repræſentaremus, quæ ad rerum veſtrarum bonum & ad ſalutem publicam, quæ à veſtri conſeruatione dependet, multum conferre iudicauimus, quæ etiam nos retinuerunt, ne ad earum approbationẽ continuò procederemus.*

Et priusquã ad ſingula proponenda accederemus, vt vobis humilimè gratias pro eo honore ageremus, quo nos afficere placet, quòd videlicet gratũ vobis ſit, vt viua voce has obteſtationes faciamus: quo oſtẽditis veſtrã ergà nos indulgentiã ac benignitatem, tantò maiore laude dignã, quãtò longius à primorum Imperatorum Romanorum auſteritate abeſt, qui ſubditis accedendi ſui copiam non faciebant, ſed cunctas petitiones & ſupplicationes codicillis ſibi exhiberi volebant.

Ieſuitarum ordo quam noxius Regno Galliæ.

Ordinis huius, qui ſe Ieſuitas dicunt, in hoc Regno inſtitutio huic Statui tam pernicioſa indicata fuit, vt ſe omnes Ordines Eccleſiaſtici ipſorũ admiſſioni oppoſuerint adeoq; Collegiũ Sorbonianum decreuerit, quòd iſta Societas non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem inuenta eſſet. Illa quidem in Synodo Eccleſiaſticorum Anno 1551. menſe Septemb. habita, cui Archiepiſcopi & Epiſcopi intererant, & Cardinalis Turoneſis præſidebat;

bat, approbata fuit; verùm tā multis cū clauſulis & reſtrictionib⁹, vt ſi Ieſuitæ eas obſeruare debuiſſent, veriſimile fuerit, quòd locum citò mutaturi fuiſſent.

Nec fuerunt admiſſi niſi per prouiſionē, ipſisq; Ieſuitarum ac Societatis Ieſu nomē, per arreſtum anni 1564. aſſumere prohibitum fuit: quo tamen non obſtante, nomen illicitum vſurpare, ac ſe inſuper omni poteſtati tā ſeculari quàm Eccleſiaſticæ eximere voluerunt. Vos autem, illos nunc reſtaurando, maiori eos auctoritate ornabitis, & eorum conditionem meliorem, quàm vnquam fuit, reddetis. Dignum itaq; à veſtri Parlamenti Senatu iudicatum fuit, imò procuratores & Aduocati, omnesq; Ordines veſtri neceſſarium exiſtimant, iſtos homines continere talib. cautionibus, quibus ipſorum licentia, quæ alias in ipſorum actionib. nimis ſoluta eſt, cuius quoq; incrementum publico bono ſummè pernicioſum eſſet futurum, impediatur. In oratione Aduocatorum veſtrorum qui ipſis non patrocinantur, præmonitio eſt valdè expreſſa, quòd neceſſarium ſit, vt huic rei prouideatur, ne eo, quod iam perſpiciunt, peius aliquid inde proueniat.

Ieſuitarum nomen vt & ſocietatis Ieſu, ipſis interdictū.

Ieſuitarum Exemptio.

Ieſuitarum Licentia coarctanda.

Et quēadmodum huius ſocietatis nomē & votum vniuerſale eſt, ſic etiam axiomata doctrinæ ipſorum vniformia ſunt, quod videlicet ſuperiorē non agnoſcāt niſi Sanctū Patrē noſtrum, cui iuramentū fidelitatis & obedientiæ in omnibus reb. præſtāt, & pro Regula indubitatā habēt, quod ille excommunicandorū Regū poteſtatē habeat: quod Rex excommunicat⁹ nihil ſit aliud quā Tyrannus,

Ieſuitarum nomen, votum & præcepta ſunt vniuerſalia, & qualia.

cui populus rebellare poſſit. Quod omnes Regnicolæ, qui minimum in Eccleſia ordinem habent, ſi quodcunq; crimẽ committant, illud pro læſæ Maieſtatis crimine haberi non poſſit, propterea quod Regum ſubditi non ſint, nec ad eorum iuriſdictionem pertineant: ſic vt omnes Eccleſiaſticos, & per conſequens etiam ſeipſos à poteſtate ſeculari exẽtos eſſe, & impunè ſanguinarias ſuas manus ſacratiſſimis Regum perſonis inijcere poſſe dicant. Hoc eſt, quod in cõcionib. apud alios docẽt, hoc eſt quod ſcribunt, impugnantes ſentẽtias eorum, qui propoſitiones contrarias tuentur.

Duo Iuris Doctores Hiſpani, cum Clericos Regum & Principum poteſtati ſubiectos eſſe tradidiſſent, aliquis ex huius ſocietatis præcipuis cõtra eos ſcripſit, inter cæteras rationes aſſerens, quod ſicuti Leuitæ in V. T. ab omni poteſtate ſeculari exempti fuiſſent, ſic etiam Clerici ab eadem poteſtate per nouum Teſtamentum immunes & liberi ſint, Regesq; & Monarchæ nullam in eos iuriſdictionem habeant.

Has Regulas, vt nimis falſas ac errorũ pleniſſimas, Maieſtas veſtra non approbabit. Oportet itaq; vt illi, qui eas tenẽt, & in regno veſtro manere volunt, eas publicè in ſuis Collegiis abiurẽt: Hoc ſi facere noluerint permittetis ne vos, vt illi hic permaneant, & fundamenta poteſtatis & auctoritatis veſtræ regiæ ſubuertant? ſed ſi id faciant, creditisne vos, quod poſſint habere aliquam doctrinã quæ Religionis ſuæ pars eſt Romæ, Hiſpaniæ & aliis omnibus ſalutarem, quæ eadem & Ga-

lli-

lia tales eſſe poſſit: cum illa, quæ alii acceptant, reiiciat? & quod de loco in locum commeantes remeanteſq́; illam & deponere & recipere poſſint? Quod ſi dixerint, ſe hoc per aliquam diſpenſationem ſecretam poſſe; quam quæſo ſecuritatem vos in iis ingeniis habebitis, qui in ea profeſſione fuêre enutriti, quæ per aduerſitatem & mutationem locorum ſe bonam & malam reddit?

Illa doctrina omnibus, quacunq́; orbis ſint plagâ, communis eſt, & tantas vires in regno veſtro aſſumit, vt, ſi illi reſtaurati fuerint, tandem in Collegia etiam moderatiſſima ſit irreptura. Antehac maiorem Aduerſarium, quàm Collegium Sorbonianum non habebant, nunc illud ipſum iis fauet, propterea quòd in eorum Collegiis quidam Iuniorum Theologorum literis operam dederũt: reliqui idem facient, ad altiora contendent, ac ad prima in Parlamentis [a] *veſtris officia admitti poterunt, & ſeruantes eandem doctrinã ſe poteſtati veſtræ ſubducent, cuncta Diadematis veſtri iura & Eccleſiæ Gallicanæ libertates euerſioni relinquentes: ac nullum crimẽ læſæ Maieſtatis, quaſi per Eccleſiaſticũ cõmiſſum, puniendũ cẽſentes.*

Atq́; nos adeò in hac noſtra vita infelices fuimus, vt etiam deteſtabilia effecta ex ipſorum inſtitutionib. prodeũtia, in propria veſtra ſacratiſſima perſona conſpexerimus. [b] *Barrerius (horreſcit animus ad ei commemorationẽ) inſtructus per Varadam* [c] *fuit, & confeſſus eſt, ſe iuramẽto*

K

[a] Imò hoc iam fraude ſua effecerũt Ieſuitę, vt cõtinuò Regiorum domeſticorum vel prę cipuorum miniſtrorũ viginti quatuor liberi in nouo Fleſſiaco Collegio Ieſuiticis præceptis imbuantur, & ex illis ſingulis annis ſex Regiis muniis præficiantur, aliis ſex in illorum locum in illud ſum miſſis: & ſic hiſce cuniculis, intra pauciſſimos annos, niſi Deus prohibeat, Ieſuitæ totum illud tyrannidem augustiſſimum Regnum ſub Pontificis & ſuam adigent. [b] Barrerius. [c] Varada.

inter ipſius manus in necē veſtrā facto Sacramēti communionem percepiſſe; ſed cum ſcelus peragere nequiuiſſet; alii animum addiderunt huic paruæ viperæ, qui ex parte peregit, quod coniurauerat. Guignardus libros ſuos propria ſua manu ſcriptos habebat, aſſerens parricidium [a] in Regem Anteceſſorē veſtrum iuſtiſſimè commiſſum eſſe, confirmando propoſitionem in Concilio Conſtantienſi damnatam. Et quid nos, recordantes peſſima ac perfidiſſima ipſorum acta, quæ facilè renouari poſſunt, timendum non habemus?

a Ieſuitæ parricidæ.

Si nos, veſtram vitam in periculo cernentes, dies noſtros in perpetuo metu tranſigere oportebit, quam tranquillitatem noſtris procurabimus? Nonne ſumma hæc impietas foret, prævidere periculū malumq́ue, ac, vt tam propè ad vos accedat, permittere? Nonne hoc eſſet ſe in profundiſſimam miſeriam præcipitē dare, ſi quis huius Regni exitiō & ruinæ ſuperuiuere vellet? quæ, vt aliquoties vobis demonſtrauimus, non vlterius, quàm vitæ veſtræ longitudine, à nobis abeſt? Deo, propter mutuam inter vos & ſanctum Patrem noſtrum beneuolentiam, ſit gloria. Deus vobis veſtrum Diadema, & ipſi ſanctam ſedem longiſſimè conſeruet; verùm ſi ſenectus aut valetudo dies ipſius præcideret: ac ſucceſſor ipſius malo animo, gladium ſuum ſpiritualem contra vos ſtringeret, quemadmodum Anteceſſores ipſius in veſtros, Reges Franciæ & Nauarræ, idem factitarunt: quantus quæſo dolor ſubditos veſtros occuparet, ſi tot huius Regni hoſtes & contra Maieſtatem ve-

Periculum præuidere, & non remouere, ſummā impietatem eſſe.

ſtram

ſtram coniuratos, in ipſius viſceribus viderent, quot contra ſuperiorem Regem feliciſſ. mem. viderunt? cum præcipui Rebellionis auctores & miniſtri, neq; etiam parricidii in ipſum patrati inſontes, ex proprio ipſius Regno fuerint?

Scelera ſua anteacta nõ magis, quàm reliquorum Ordinũ & ſocietatũ omnium, qui non minùs quã ipſi errauerint, iſti notari aut exaggerari debere aiunt. Fortaſſis in præiudiciũ ipſorũ dictum fuerit, quòd etiãſi in omnib. reliquis Ordinib. & ſocietatib. vitia deprehendantur, illa tamen non vniuerſalia fuerint. Societates erãt diuerſæ, omnes verò illi, qui earundem vni adhærebant, ſe obedientiæ Maieſtati veſtræ debita non ſubduxerunt. Sed qui de ipſorũ sũt Societate, vnitiſſimè ac pervicaciſſime in Rebellione ſua perſtiterunt, ac non ſolum nullus ipſorum partes veſtras eſt ſecutus, verum è contrario veterum Regni hoſtium partibus præ cæteris deditiſſimi fuêre; ac cum tales eſſent, Odo, vnus ex ipſorum ſocietate per ſedecim illos coniuratos pro principe electus fuit. Et ſi exemplum aliquod externum noſtris interiicere fas eſt, miſerandũ aliquod ex Hiſtoria Luſitaniæ referemus. Cùm Rex Hiſpaniæ animum ad Regni Luſitanici vſurpationem applicaſſet, omnes Religioſorum Ordines conſtantes in fidelitate Regi ſuo debita permanſere; ſoli ipſi, vt Dominationem Hiſpanicam adiuuarent, deſertores fuêre: ex quo etiam factum eſt, vt plus quàm duo millia tam Religioſorum quàm cæterorum Eccleſiaſticorum miſerrimè perierint: ad

quod expiandum Bulla abſolutionis conceſſa fuit.

Ipſorum doctrina & anteriora geſta cauſa fuere, vt, cũ Caſtellus aduerſum vos inſurrexiſſet, arreſtum tam contra ipſum quàm contra omnes iſtius Societatis participes, per os veſtrũ proprium damnatos ſecutum ſit; Quod Arreſtum nos, velut feliciſſimum noſtri temporis miraculum, memoriæ conſecrauimus; Iudicãtes tunc, quod ſi iuuentutem malitioſa & execrãda illa doctrina inde imbuere pergerent, nihil ſecuritatis veſtra vita habitura eſſet. Quæ etiam cauſa idonea iudicata fuit, quòd nos formulas quasdam tranſiliebamus, quib. adſtringebamur ad iudicandum cùm cauſæ cognitione de inſtantiis formatis; quæ ſaluti publicæ poſtponebantur.

Nulla nos inuidia, odio, aut maleuolentia neq; generatim neq; ſpeciatim contra ipſos laboramus; ſi laboraſſemus, Deus nos puniuiſſet, quod nihilominus ipſorum iudices eſſe voluiſſemus. Nihil niſi atrocitas criminis, & affectus ille, quo Maieſtatis veſtræ conſeruationem in poſterum quoq; proſequimur, ad illud arreſtũ incitauit, quod in Parlamenti Rothomagenſis Diuiodunenſis Iurisdictione executioni mandatum fuit, & quidem ad veſtrum proprium mandatum: idq; idem etiam in aliis omnib. factum fuiſſet, niſi illi, qui nõdum obedientiæ veſtræ ſeſe ſubiecerant, reſtitiſſent: quique etiam à propoſito ſuo, niſi cum nimis magno malæ ſuæ voluntatis ſupplicio, recedere poterant.

Con-

Conquerunntur in Scriptis ſuis, quòd tota ſocietas propter delicta trium aut quatuor non debeat puniri. Verùm etſi ad Fratrum Humiliatorum conditionem redacti fuiſſent, occaſionẽ conquerẽdi nullam haberent: cum ob cædem in Cardinalẽ Boromeum per religioſum vnum tantùm ex Ordine Fratrum Humiliatorum patratã (quod annis abhinc ferè triginta accidit) totus Ordo per Pium V. Pontificẽ,[a] iuxta reſolutionem in conuẽtu Cardinalium factam, ſpreta etiam Regis Hiſpaniæ deprecatione, abolitus fuerit. Noſtrum iudicium non eſt tam ſeuerum. Si dixerint, Humiliatorum cum ſuo Ordine, qui longè maior ſit, nullã eſſe comparationẽ: Nos ipſis dicemus, multò minorem eſſe comparationem Cardinalis, cum potentiſſimo Mundi Rege, qui dignitate Cardinalem longius, quàm ipſorum Ordo etiam minimũ, ſuperet: Fratres etiam Humiliatos minus peccaſſe, quam ipſos: Nam eorum vnus tantum cædis in Cardinalem patratæ author fuit, at ipſi omnes parricidii in vos tentati, propter inſtitutionem ſuam rei ſunt.

Supplices vos rogamus, vt, quemadmodum gratum habuiſtis Arreſtum iuſtiſſime factũ, & tum temporis, ad deterrendos tã multos, ne contra vos conſpirarẽt, proditores, neceſſarium: ſic etiam illud conſeruare, & nobis præmonitionẽ illius periculi, in quo tum eramus, cùm nimirùm communi noſtro Parenti, cuius vita nobis propria vita charior eſt, interitum parari videremus, condonare dignemini. Ac certè ſummum etiam infidelitatis & ingratitudinis vitium exiſtimaremus, ſi illius

[a] Note[…] Lupina P[…] tificum […] tura; qui […] gum Pa[…] cidas in […] merum Deorũ r[…] ferunt: L[…] pillorum […] vero ſeu c[…] tellorum […] ſuorum […] fenſam di[…] riſſimis ſu[…] pliciis vi[…] dicant.

perpetuã curam non ageremus: quandoquidẽ vos noſtram vitã, noſtram tranquillitatem & noſtra bona nobis reddidiſtis. Memoria præteritorũ cautioni nobis eſſe debet, vt prouideam⁹, ne per incuriã in abyſſo ſecundi naufragii ſepulti maneamus.

Non poſſumus etiã omittere, quin ſingulares Maieſtati veſtræ, vt Academiæ huius miſereri velit, preces exhibeamus. Reges veſtri Antec eſſ. hoc optimæ veſtræ Ciuitati Pariſ. ornamentũ relinquere voluerunt: at nunc intra paucos dies bona eius pars deſeretur: Fieri non poteſt, quin, ſi quantam huius vrbis partem videatis incultam, & à tam multis familiis, Bibliopolis & aliis, qui à literarũ ſtudiis victum quæritare ſolebant, nunc ad ſtipẽ redactis, relictam; idq; ad gratificandum tantùm nouorum Doctorum paruo cuidam numero, qui ſanè ſtudere, legere, docere, & publico bono ſeruire cum cæteris, at nullũ corpus ſingulare, ex ordine & religione nouâ compoſitum, facere debebant. Scimus ſanè quòd Vniuerſitas reformatione opus habeat; verùm hæc per ipſius ruinam fieri non debet: quæ euitari non poteſt; non quidem ob horum, qui in hac ſunt ſocietate, abſentiam, ſed propter Collegiorũ, quæ in diuerſis Prouinciis permittetis, multitudinẽ, quæ vbi eam commoditatẽ ad manum habuerint, liberos ſuos in hanc vrbem non amplius mittent: quod vos facilè magni præiudicii eſſe iudicabitis: quia facilè eſt videre, quod, qui hic educatur, ſeſe à teneris ad Reges & ſummi Imperii inſignia ſuſpicienda & agnoſcẽda aſſuefaciant: illi verò qui in paruis oppidis educabuntur,

eandem

eandem educationem non recipient, neq; ſimilem affectum habebunt. Et ſic Academia hæc, aliàs florentiſſima, penitus euertetur, conſtitutis decem aut duodecim Collegijs eorum, quorũ ſocietas ſẽper ſuſpecta, & inſtitutio iuuẽtutis periculoſiſſ. erit.

Hæ ſunt humilimæ obteſtationes rationesq; ſũmariæ, quæ nos à literarũ publicatione hactenus abſtinuerunt, metuẽtes, ne iuſte nobis vitio verteretur, quod nimis leuiter ad earum approbationẽ deſcendiſſemus. Humilimè ſupplicamus, vt eas in meliorem partem accipiatis, eamq; nobis gratiam faciatis, vt, ſi nobis aliquid mandaueritis, quod nobis videatur ſaluâ conſcientiâ executioni mandari non debere, id non inobedientiæ noſtræ, ſed muneris noſtri officio adſcribatis. Quandoquidẽ exiſtimamus, vos illam non velle, niſi in quantũ ea iuſta & æqua eſt, & intellectis rationibus, propter quas illa talis declarari non poſſit, non grauiter laturos, quòd obedientia vobis præſtita non ſit. E contrario, quando admonebimini, vt promiſſum aliquod præſtetis, illius Monarchæ reſponſum dare velitis: qui, cum rogaretur, vt promiſſum ſuum verbis Regijs factum impleret, reſpondit, ſe id velle præſtare, ſi iuſtum eſſet, & verba non vlterius obligare.

Domine, Rex es, & quidem Rex magnus, qui melius iudicas id quod iuſtum eſt, quam omnes veſtri ſubditi: Verba veſtra ipſa iuſtitia ſunt. Verum ſi nos vobis ſupplices eſſe poſſimus, vosque permiſſuri ſitis, vt vobis cum omni humilitate oſtendamus: dicemus, quòd

Anteceſſores veſtri illo ſemper Parlamenta honore dignati ſint, quò Imperatores Senatum: nimirum vt cauſas Iuſtitiæ ipſorum conſilio moderarentur: & quamuis abſoluta poteſtate vti potuiſſent, illam nihilominus ob hunc reſpectum depoſuerunt, ac voluntates ciuitatis Legum accommodauerunt.

Pergite hac erga nos vti gratia, & conſeruate authoritatẽ illam, quã Anteceſſores veſtri Curiæ veſtræ Parlamenti conceſſerunt, quæ re ipſa non ipſius ſed veſtra eſt, quia non aliunde quam à vobis dependet: & quamuis illa eam perderet, ignoſcite quæſumus nobis, dicentibus, quòd iactura non in ipſam, ſed in vos ceſſura ſit. Deum toto corde & affectu precabimur, vt dies veſtros in omni proſperitate & felicitate amplificet, Reginam & D. Delphinum tam vobis quàm ſubditis veſtris conſeruet, & hanc nobis gratiam largiatur, vt omni fidelitate humilimisque ſeruitiis noſtris demonſtrare poſſimus, quòd nullam maiorem corporis animique felicitatem optemus, quàm vt à vobis habeamur pro iis, qui ſumus, humilimi videlicet, obedientiſſimi & fideliſſimi veſtri ſubditi & miniſtri.

Hoc tanti Senatus tã ſolenne teſtimoniũ, indubitabile & omni exceptione maius eſſe vos tandẽ confiteri oportuit. Vnde etiã vos velut pudore aliquo tactos ſimulantes, (cũ potẽtiſſimum illum Regẽ ſecundum pacta reunionis cũ Pontifice & ſede Romana inita

ad Ieſuitarum reſtitutionem teneri ſciretis) quo facilius citiusq; eā obtineretis, crimina illa, vt vobis, vel falsò afficta, vel ex aliqua priuati malitia profecta, ſcriptis apologeticis mendaciorum & æquiuocationum pleniſſimis in id publicatis, deteſtari videbamini: cum tamen ſacratiſſimus ille Vice-Deus, ille, inquam, Filius perditionis, qui ſcelera quæuis in ſacrificia ex plenitudine poteſtatis ſe tranſſubſtantiare poſſe videri vult, præterita non ſolum non damnauerit, ſed vt bona facta vel commendauerit ipſe, vel per ſuos, tanquam ſacrificia Deo gratiſſima, commendari fecerit: adeoque res ipſa loquatur, ſceleratum hoc veſtrum in Reges & Principes Euangelicos, eorumq; fautores propoſitum minimè mutatum: ſed vos terriculamentorum (quibus regiam ſuam Maieſtatem ad Eccleſiam Rom. redire compuliſtis) felici ſucceſſu magis elatos inflatosq;, vel ſimilib. technis alios item terrère & cōpellere, vel maiore crudelitate è medio tollere, & Regna potius integra igne ferroque euertere, quam ęquioribus & mitioribus remediis Euangelicos ad ſedis Rom. ſubiectionem reducere cōſtituiſſe. Quod & immaniſſima illa & non nominanda coniuratio, ad sereniſſ. maioris Britannię Regem & vniuerſos Regni illius ordines puluere fulminali è medio tollendū, cæcâ obedientiâ per ſocios veſtros machinata, ann. 1605. 9. Nou.

in Anglia ſubſecuta,& detecta oſtendit: cuius quidē ſeries quia ſeparatim autoritate ipſius regis publicata fuit, hîc omittitur, vt & Actio in Henr. Garnetum ſocietatis Ieſuiticæ in Anglia ſuperiorem,& cæteros coniurationis illius pluſquam feralis correos edita, quæ ad maiorem proditionum & rebellionum Ieſuiticarum fidē faciendam orationib. illuſtriſſimorum dominorum (qui ad reorū quæſtiones delegati fuerunt) nimirū comitis Nottinghamiæ, Suffolciæ, Wigorniæ, Devvoniæ, Northāptoniæ, Salisburię, Primarii ſiue capitalis Iuſticiarii Angliæ, Primarii ſiue capitalis Baronis Scaccarii, Petri warbertonii equitis aurati & communium placitorum Iuſticiarii publicè & ſolenniter confirmata eſt; (in qua etiam pręter illam tā impiam & horrendam proditionem etiam aliæ plures pari fide & veritate recenſentur) Sed ſatis proculdubio tibi aliiſque Becane fuerit, ſi indubitatum ſereniſſ. maioris Britanniæ regis (qui regia fide veritatem illius, contra nefandas quorundam calumnias, aſſerit) teſtimoniū hîc ſubiiceretur, quod tale eſt: *Horrenda illa & prodigioſa coniuratio*, (inquit rex) *quæ per tormentarii pulueris impetum deſtinabatur, de cuius flagitii immanitate nulla vnquam ætas conticeſcet (quanquam illius mētio tam ſæpe repetita Parſonii animū perfodiat) non in me tantum meoſq; poſteros inita, publicos etiam regni ordines euertere ac delere inſtituerat: nec alii tanti facinoris auctores, quam Papiſtæ aliquot,*

Teſtimonia Illuſtriſſimi Senatus Britannici remiſſiua.

Teſtimonium sereniſſimi Magnę Britanniæ Regis.

præ-

rapoſtero ſuæ religionis ſubuehẽdæ zelo ad hanc immanitatem inducti; Ex iis nõnulli tantâ pertinacia obſtinauerant ſcelus, vt nec in ſupremo vitæ articulo deteſtarentur ſuum crimen, ſupremiſq; verbis, & penè ſuperueniente morte præciſis, Reus ſe ullius flagitii confiteri abnuerẽt, aut petere cogitati facinoris veniam, niſi prius Rom. Eccleſia hoc tantæ coniurationis conſiliũ ſua[a] ſentẽtia damnauiſſet. Nec multò poſt innotuit, non paucos ex meorum ſubditorum numero qui Ro. Religionẽ profitentur, omnis conditionis atq; ſexus, alios domi, alios foris, & apud gentes exteras, confuſa & obſcura ſignificatione reſciuiſſe, magnũ aliquid, quo Rom. Eccleſiæ vtilitas promoueretur, in id coeuntium ordinum tẽpus comparari: quanquam illis, ne vulgata res ſecretum omne panderet, deſtinatæ rei modus ac cõſiliorum ratio nequaq̃ proderetur. Sed & certa precationum [b] formulæ conceptæ, à multis vſurpatæ, quib. ꝓſperos ſucceſſus tãto & tã graui negotio precabãtur. Ipſi quoq; coniurationis auctores atq; architecti in conſtantiæ ſuæ pignus & ſilentii auctoramentũ ſæpius & multorũ ſacerdotũ miniſterio eucharistiæ ſacramẽto ſumto, animos ſuos ad flagitiũ obfirmarũt. Quidã etiã ex Ieſuitarũ primariis cõtagione tãti ſceleris infecti. Ex his aliquot matura ad exteras gẽtes fuga vim indiciorũ [c] eluſerũt, intercepti aliquot, inter quos S. ille Garnetus & Ouldcorr. & facinus confitẽtes capitis ſup-

a Quia ab incunabilis Ieſuitarum præceptis imbuti fuerant, Reges & Principes Hæreticos cũ integris Regnis priuato, cuiq; parricidiali ſcelere ſubuertere licere, imò meritorium ad ſalutem eſſe, vt ipſi teſtati ſunt.

b Ieſuitarũ precatio hæc erat, *Gentem auferte perfidã credentium de finibus, vt Chriſto laudes debitas perſoluamus alacriter.*

c Et requiſiti à Principib. ad quos confugerant, nõ remiſſi D. Auguſtinus 3 de ciuitate Dei, c. 6. vbi agit de Parricidio Romuli, quod Dii non vindicarunt. *Si autem* (inquit) *illud ſcelus à facto imperioq; Romuli alienum eſt. quoniam debuit vtique vindicari* (at quia vindicatum non eſt, ſed laudatum) *tota hæc illa ciuitas fecit, quod tota conſenſit.*

plicis affecti ſunt. Et paulò poſt: *Iā verò ille alt[...] qui Garneto hanc pulueranam coniurationem [...]peruit, Greenvvellus Ieſuita eſt; ſic Ieſuitæ nefar[...] proditionis ordinem expoſuit, nec ille, qui tantu[...] ſcelus aperuit, vllum conſcientiæ ſtimulum ſenſ[...] neq; is, cui patefactum eſt, vllam confitenti ob co[...]gitatum ſcelus pœnitentiam indixit. Ac vt pala[...] ſit, plures ex Ieſuitis huius cōiurationis conſcios fu[...]iſſe, Ouldcornius alter ille ſulphureus martyr, c[...] in irritum ceſſiſſet è latebris ſuis extracta cōiura[...]tio, concionem Catholicorum ſuorum habuit, v[...] eos conſolatus ac etiam hortatus eſt, ne animos ſi[...]niſtro & infelici coniurationis euentu deſponde[...]rent, aut de cauſa, quod parum proſperè cecidiſ[...]ſet, deſperarent; ſæpè anteà* SANCTIS *iſtiuſmo[...] conatib. fortunam defuiſſe, idq; S. Ludouici Reg[...] exemplo, eum ſecunda in Terram ſanctam expe[...]ditione ſuſcepta, morbo in itinere periiſſe, maxim[...] exercitus partem peſte eſſe abſumtam; ſed & par[...] feliciter priorem expeditionē ceſſiſſe, in qua à So[...]dano & Mahumetanis captus eſt. Eos itaq; hor[...]tabatur, ne ab incepto deſiſterent: ſperarent potu[...] ſuis illis cōſiliis, quanquā hoc tempore deplorati[...] diuinam aliquando [a] opem nequaquam defutur[...]*

Quod & Attornatus Regius probat, qui i[...] hac [b] coniuratione teſtatur, *Ieſuitas plures n[...] ſolum ſe immiſcuiſſe, ſed etiā præfuiſſe: ex illis tr[...] eſſe Legatos ordinarios, in Anglia Henr. Garn[...]tum, aliàs Wallay, Ieſuitarum in eo regno ſuper[...]orem, in Hiſpania Creſvvellum, in Belgio Bald[...]inum, & Romæ Perſonium, præter emiſſarios ſuo[...] cuiuſmodi ſunt Gezzardus, Oſvvaldus, Teſmū[...] alia[...]*

a Et hinc manifeſtiſſimè apparet, Ieſuitarum omniū perpetuū & immutabile propoſitū eſſe, Reges & Regna Euangelicorū omnib. conſiliis & viribus euertere.

b In Actione in Proditores, fo. 20

[..]ias Greenvvell, Hamond, Haul, & è ſocietate *[I]eſuitarum alii*; adeo vt Ieſuitas huius ſceleris [a]nteſignanos iure nominet. Ex his omnib. [B]ecane, vniuerſus orbis videt, proditiones, [i]nſidias, parricidia, & veneficia veſtra non à [c]uiuſ ſingulorum Ieſuitarum proſilire motu, [s]ed vos ea, velut ſumma, generalia, indubi[t]abilia, atq; immutabilia doctrinæ Ieſuiticæ [p]rincipia & pręcepta conſtituta, veſtris mo[n]itis & adhortationib. omnib. qui vobis au[r]es præbent, perniciosiſſimè infundere atq; [i]ta imprimere, donec eos deliberato, perui[c]aci, cæco & obſtinato corde, in illis ad ſu[p]remum vitæ ſpiritum perſequendis obfir[m]atos eſſe agnoſcatis. Quę res facit, vt verẽ[n]dum ſit, cum à primo Ieſuitarum in Angliã [i]ngreſſu, ad ſupradictæ huius coniurationis [d]iem, nũquam integrum quadriennium ef[f]luxerit, in quo non exitialẽ aliquam prodi[t]ionẽ in totius Reip. perniciem Ieſuitæ ma[c]hinati ſint, vti notiſſimis exẽplis in ſupra[d]icta actione [b] Attornatus *R*egius ꝓbat, q^d^ [i]uxta immutabile coniuratumq; Antichriſti [e]iuſdemq; Amaſiorum, proditorum & per[d]uellium veſtrorum propoſitum[c], neq; iam [r]egnum illud à perniciosiſſimis factionib. & [m]achinationib. veſtris penitus liberum & [i]mmune ſit; Maximè cum regum parricidia [r]egnorumq; euerſiones vobis non tam per [l]eges licere, quam diuinum fauorẽ mereri, [p]ublicis ſcriptis plurifariam oſtenderitis. Ex [ſ]uperiorib. Becane, vides, craſſum Batauum

[b] fol. 71.

[c] quod Campianus veſter ſupra relato loco prodidit.

ex more gentis (quæ vt hebetior agreſtio
ſcapham ſcaphā vocitare ſolet) te cætero
Ieſuitas nullâ iniuriâ vel affeciſſe, vel eti
afficere, cū vos Antichriſtianos, Imperio
alienarūq; Rerump. proditores, perduel
& euerſores eſſe, veſtris nominib. appella
Interea ad criminum veſtrorū attenuati
nē vel [a] excuſationē minimè facere cred
ꝙ veſtros regib. principib. aut Magiſtratib
politicis nullo fidelitatis ſacramēto, ſed
pontifici ſupremo veſtro Induperatori
obſtrictos, ſucclametis, & ob id vos in ip
nullum Matis crimē [b] committere poſſe,
tamſi ad nutū & pro libitu huius in illos
ſurgatis. Cum.n. origo, patria, incolatus,
ipſe delicti, locus, vt ante dictum eſt, vos
gib. regni & reip. in quibus eſtis, adſtring
hoc ipſo, quod regib. & magiſtratib. fideli
tē iurare recuſatis, fidem quidem, ſi fides
cenda eſt, Antichriſto vniuerſi orbis rapt
integrā ſeruatis, ſed cœcâ veſtrâ perfidiâ
plex rebellionis [c] crimen incurritis, omit
do id, ad quod origo & patria vos adſtring
& recuſādo id ꝙ omnis magiſtratus iure à v
bis poſtulare poteſt & debet. Non .n. ob
minus regib. & magiſtratib. politicis obed
tia ciuili parēre debetis, quod ſingulari vo
pōtifici, velut Dei vicario, obſtricti eſtis,
eo ipſo vos magis principib. veſtris pfido
rebelles oſtenditis, nam illis *non propter i
tum tantum, ſed etiam propter conſcientiam
rendum eſt.* Nec contraria ſunt, Deo obed
& magiſtratui, ſed conſentanea: Neq; D

[a] Quod Exemptionis priuilegia, etſi vera eſſent Ieſuitas à ſup. adictis criminib. nō liberent.

[b] Emanuel S. in Aphoriſ. Cōfeſſariorū in verſ. Cleric.

[c] Ieſuitarum Rebellio duplex.

beneàut plenè obtemperat, qui Magiſtratui debitam obedientiam negat. Cum itaq; nō ipſis tātum armis rebellio committatur, ſed & peruerſa animi deſtinatione qualicunq; volūtatis ſignificatione patefacta, malo cō-ſilio, atq; inobedientia: vſurpata hæc veſtra exemtio & immunitas rebellio eſt, nec magis eā vos à crimine læſæ Ma^tis liberari debere, ratio & diſciplina publica dictat, etiāſi vniuerſalis eſſet, quā libertates legitimæ eximūt, ciuitates eas, quæ vel ex priuilegio, vel ex longa patientia exemtionem ab imperatorib. recognoſcunt, quas nihilominus legitimis imperatoris mādatis rebellando Maieſtatis crimen incurrere iuriſperiti [d] tradidere. Quis.n. vnquam fando audiuit, libertatis & exemptionis iure contineri impunitatem commiſſorum criminum; Cum *libertas ſit facultas agendi quod velis, niſi IVRE aut VI prohibearis?* Annon, Beiane, intolerandā Matheologorum inſaniam ipſe (ſi tibi mētis & iuris aliquid reliquum eſſet) iudicares, ſi quis ita argueret: Verbi diuini authoritas eſt ſuper omnem humanam authoritatem, Ergo eiuſdem adminiſtri ſupra omnes reges & principes eſſe debent; Et regib. & principib. nullum in illos ius eſt? Quid ſi pontifex nullos in poſterū ferat viuos, niſi charactere ſuo notatos, qui futuri eſſēt regib. & principib. ſubditi? Apage nugo, cū ineptiis veſtris. Homo q origine alicuius ſubditus eſt, licèt alibi habitet, tamē ſi in originariū principē qd machinatur, rebellionis [e] re⁹ eſſe iudicatur.

d Baldus Cap. ſicut de iureiurando, quē ſequitur Martin. Laud. in tractat. de crim. Cæſareę Maieſta tis fol. 51. Et Gig. in tit. de Rebel. q. 9. 7.

e Baldus in tit. de Crim. Cæſ. Maieſtatis nu. 95. & ſequent. per text. in Clem. Paſtoralis 95. rurſus de re iudic.

[a] Magis adhæc ad proditiones & parricidia veſtra exaggeranda & execranda, quā ad ea eluēda facit, quod præpoſterè docetis, reges & principes (qui vel ab irato Pontifice, vel à *viris eruditis & grauib.* veritatis hoſtib. vel cōmuni populi, veſtrâ peſtiferâ hæreſi & furore infatuati & inflāmati opinione Hæretici habentur) eo ipſo neq; Imperii, neq; *Regni*, neq; Principatus, neq; alicuius ciuilis dignitatis capaces, ſed ditos tyrannos, *Regio* nomine indignos eſſe; atq; ideò ſubditis omni obediētiæ vinculo ſolutis, imo ſingulis ipſis eos interficere [q] atq; è medio tollere licere; Quid? parricidialia facta meritoria eſſe? An non hoc ſit, Becane, [r] *irritum facere mandatū Dei per traditiones veſtras?* Veriſſimè de vobis dici poteſt, quod B. Iacobus [s] de ſui temporis Hypocritis dicebat; quod *lingua veſtra ſit flamma & mundus iniquitatis, inflammans orbem conditum, inflammata à Gehenna.* [t] Vos reges & principes vicarios Dei (quibus omnis anima ſubdita eſſe debet) propterea accuſatis & ſimul iudicatis eſſe hæreticos & tyrānos quia Maieſtatem Dei, & ſuam contra Antichriſtum Rom. impium vtriuſq; vſurpatorē & diuinarum pariter atque humanarum legum euerſorem, tuentur; Et hac ſola de cauſa eos, non ex Lege Dei & publica [u], ſed ſe-

cu

a Quod iniuſtæ accuſationes & ſententiæ, quib. Ieſuitæ Reges & Principes Pontifici ad nutum non obediētes, vt Tyrānos & Hæreticos occidēdos eſſe docent, ipſos magis Rebellioni obnoxios faciant, quam quod ab ea liberent.

q L'Apologie pour Iean Caſtel Pariſien. par Frāçois de Verone Conſtantin, imprimé l'an 1591.

r Matth. 15. v. 2. 6.

s cap. 3.

t Secūdum elegās illud R.P.Fr. Bencii Anagramma de B. Ignat. veſtrę ſocietatis fundatore, ex literis IGNATIVS DE LOIOLA, addita tantum vna litera S. conuerſum O IGNIS A DEO ILLATVS.

u Vide Iod. de Wardt in Præf. ad Lect. Panegyr. Parnaſſ. cōcord. Be-

cundum traditiones veſtras, non tantum Maieſtate & Imperio, ſed & ipsâ vitâ priuãdos eſſe docetis. Non eſt iſta Sapientia, [a] *supernè deſcendens, ſed terrena, animalis*, [b] *Dæmoniaca: quæ autem supernè eſt ſapientia, pura & abſque diiudicatione eſt*. Iure ne & Accuſatores & Iudices ſimul eſſe poteſtis? Minimè. nam quicunque hoc facit, *damnat certè legem, & ita non eſt obſeruator legis, ſed iudex*. Qui nouas leges conſcientiis imponere vultis, hac arrogantiâ, & vos & Patres veſtros Antichriſti, qui ſe exlegem eſſe ſuperbè gloriatur, membra eſſe & opera eius facere, vnusquisque videt. Huius malitiæ homines Chriſtus *ex Diabolo* [c] eſſe dicebat, quia *deſideria Patris ſui voluerunt facere, qui homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit*. Diuus Lucas Actor. 13. ℣. 50. tradit, tum temporis Iudæos fuiſſe, qui *extimulabant mulieres religioſas & honeſtas, & primos ciuitatis aduerſus Diuum Paulum & Barnabam, vt eos finibus eiicerent*. Ioſephus de Phariſæis ſui temporis tradit, quod *fuerit quædam Iudæorum ſecta, exactiorem patriæ legis cognitionem ſibi vendicans, quibus tanquam Deo (vt videri volebant) charis, addictum erat hoc mulierum ſodalitium; hi Phariſæi* (inquit) *vocantur, genus hominum aſtutum, arrogans, & interdum Regibus quoque infeſtum, vt eos etiam apertè impugnare non vereatur. Nam cum tota gens Iudæorum fidem ſuam iureiurando obligaſſet Regi & Cæſari, hi ſo-*

a Iacob. 3. ℣. 15. 17.

b Ieſuitarũ doctrina terrena & Dæmoniaca.

c Iohan. 8. ℣. 44.

d Ieſuitæ vltimi temporis Phariſæi, multò illis antiquioribus deteriores ſunt.

lum non iurauerunt. Quod ſi veſtrorum Leges patriæ, traditiones ſuperſtitioſæ, rapacitates arrogātię, mēdacia, fraudes, aſtus, auaritia, rebelliones, parricidia, veneficia, cæteraque deteſtanda opera, cum Phariſæorum illorum moribus conferantur, ſiquidem *ex fructu arbor agnoſcitur*, nonne iure de vobis dicetur, quod Chriſtus de immundo ſpiritu ſui temporis dixit: nimirum, ſpiritum illum malignum, quo Phariſæi temporibus Chriſti & Apoſtolorum agitabantur, poſtquam per arida & deſerta loca diu multumque vagatus eſt, velut per μεταμεμψύχωσιν in Loiolam rediiſſe, & aſſumptis ſecum aliis ſpiritibus multo nequioribus ſe, in domos veſtras, quas inuenit vacātes & ſcopis mundatas & ornatas, intrauiſſe, ſic vt nouiſſima veſtræ peſſimæ Generationis ſint peiora prioribus? Phariſæi enim, licèt clam auari & rapaciſſimi lupi, opera tamen publica faciebant iuſtitiæ, *Decimasque omnium, quæ poſſidebant*, vt ipſi teſtantur, [a] *ſoluebant*. Vos autem eas non tantum non ſoluitis, ſed quæ aliis religioſis collegiis in pias cauſas relicta ſunt, iiſdem ſurripitis, & in ventris luxum, ædificiorum & ſcenicorum ludorum ſplēdorem conuertitis. Item Phariſæi antiquitus, vt Ioſephus teſtatur, INTERDVM *Regibus erant infeſti, & eos impugnare non verebantur*. Vos autem SEMPER & LEGE LATA, inſtituto, propoſito & artificio, omnes Reges & Principes,

[a] Luc. 18. ℣. 12.

cipes, qui Pontificum traditionibus ad nutum non parent, citra & contra omnem iuris ordinem, vel ſicis, vel veneficiis, vel iniuſtis Populorum Rebellionibus de Throno Regiæ Maieſtatis deturbandos, vel crucifigendos, vel tollendos eſſe clamatis. Sed melioribus coloribus nullus vos depinxit vnquã, quam diuinus ille vates Paulus, 2. ad Tim. 3. *Illud autem ſcito*, inquit, *fore, vt extremis diebus inſtent tempora difficilia. Erunt autem homines ſui amantes, pecuniæ cupidi, glorioſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, ſceleſti, ſine affectu*, PERFIDI, CALVMNIATORES, *intemperantes, immites, à bono alieni*, PRODITORES, *præcipites, inflati, voluptatum potius quam Dei amantes, habentes quidem ſpeciem pietatis, vim autem eius abnegantes. Ex his enim ſunt iſti, qui irrepunt in familias, & captiuas ducunt mulierculas, onuſtas peccatis, actas cupiditatibus variis: ſemper diſcentes, ſed nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes*, &c. Ita *& hi reſiſtunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem: ſed non procedent amplius: nam amentia iſtorum euidens erit omnibus.* Vides, Becane, quàm graphicè hîc calumnias, Perfidias, Proditiones, Rebelliones, & alias Antichriſtianas virtutes veſtras ſanctus Apoſtolus Chriſtianis omnibus, vt vos auerſarentur,[a] depictas oſtenderit.

[a] Verſ. 5.

AD IV. V. & VI. QVÆSTIONES Martini Becani;

An in Conciliis Tridentino, Conſtantienſi, & Lateranenſi tradatur, Hæreticis Fidem ſeruandam eſſe?

Vbi nugis ipſius futilibus diſcuſſis, euidentiſſimè demonſtratur illis Conciliis tradi, Fidem Hæreticis ſeruandam non eſſe.

BATAVVS, Becane, nimis perſpicuè iis, qui neque cæci, neque baculi, neque cadauera ſunt, oſtendit, Patres Conciliorum iſtorum coniuratos & ſententiâ, & verbis decretorum ſuorum, & factis deinde ipſis tradidiſſe, Fidem Euangelicis & Orthodoxis, velut hæreticis ſeruandam non eſſe. Batauus, hoc illis conciliis decretum eſſe, contra conſcientiam non clamat, re ipsâ & luce meridianâ clarius hoc ipſum docuit, nihil indè quo ea, quæ in Libello Pro defenſione Tertia ſcripſit, euertere poſſes, attuliſti. Mirum autem ipſi & aliis bonis non eſt, quod nec tu, Becane, nec alii veſtri ſeductores id videatis, cum mortiferè à ſerpente morſi, & cæcitate baculari icti, vt cadauera & baculi nec videre, nec intelligere, nec ſentire poſſitis, ſimiles facti idolis, quæ fieri curatis & honoratis; cum ipſi, quæ ſcribitis & facitis, neque videatis, neque intelligatis, neque

Pſal. 115.

ſentiatis,

ſentiatis, viſu, intellectu, iudicio & ſenſualitate orbi. Pauca, Becane, ex te Batauus quæret, ſublatâ omni Amphibologiâ & Æquiuocatione; rotundè enim, id eſt, more Batauo, tecum agere ipſi animus eſt. Primum, an non vos, quotquot eſtis Ieſuitæ, ſtatuitis, eos omnes, qui à vobis pro hæreticis habentur, ſi moniti, ad Eccleſiæ gremium nō redeant, igne, ferro, veneno, & quouis inſidiarum genere, [a] nullo vel ſexus, vel ætatis, vel conditionis aut qualitatis reſpectu habito, radicitus extirpandos eſſe? Deinde, an non eos, qui à noſtris Fideles, Euangelici & Orthodoxi appellantur, vobis verò Lutherani & Caluiniſtæ ſunt, vt Hæreticos, nō obſtantibus quibuſuis promiſſis, pactis & edictis publicis, [b] ſi ad Eccleſiæ Romanæ gremium redire conſtanter negent, cum opportunum vobis videbitur, occidi faciatis? Hæc negare nullus veſtrûm poteſt; Nam id ſupra ex veſtriſmet ipſorum ſcriptis abundè probatum eſt. Conſequitur itaque, ſi Euangelicis, quos Hæreticos vocatis, fidem de ipſis non puniendis dediſſetis, quod negaretis & fidem vos illis dediſſe, &, ſi in profeſſione conſtantes puniretis, fidem vos etiam violare. Nam cum legibus publicis tam Imperatorum, quàm Pontificum, conſtitutum dicatis, Hæreticos è medio tollendos eſſe, Orthodoxos autem, citra legitimam cauſæ cognitionem, & contra legem, Hæreſeos da-

[a] Fidem Hæreticis ſeruandam nō eſſe.

[b] Pater Edmondus in Pædagogo armorum ad Carolum IX Gall Regem, cap. 9. *Quòd nō poſſint allegari Principi ad bellum ſe accingenti vlla ſua Edicta aut Statuta anteriora.*

mnetis: conſequitur, pacta priuatorum de illis non puniendis ipſo iure nullo eſſe, nulloq; pacto aut iuramento effici poſſe, vt Euangelica doctrina Euangelicis ipſis à Regibus & Principibus, vel Rerumpub. Adminiſtratoribus indulgeatur: quaſi iuramenta talia eſſent extra commerciũ & poteſtatem Regum & Principum, tãquam illicita & inhoneſta; cum *Pacta iuri publico contraria ipſo iure nulla ſint, & iuramẽtum non debeat eſſe vinculum iniquitatis*. Vel itaque, Becane, dũ prætenſis Hæreticis fidẽ de ſecuritate, id eſt, de illis non puniendis, etiam in hæreſi prætẽſa ſuaq; Euangelica doctrina perſeuerantibus vos dare, promittere & iurare ſimulatis, eam interna quadã æquiuocandi intentione datã eſſe negatis, vel contra leges, conſtitutiones, decreta & canones, prætẽſos Hæreticos propter pacta & iuramenta publica puniendos non eſſe, cõcedere debetis. Fidem autẽ Hæreticis à vobis ſeruari, falsò aſſerere, cum ne datam quidem eſſe internâ mentis intentione credatis, hoc eſt, perfidè atque æquiuocè bonis imponere. Huic Dilemmati, Becane, reſponde, ſi potes.

Addis, Antichriſtiane, ſi Batauus tibi poſſit nominare eos, qui atrociſſimè contra fidem publicam à Cõcilio datã, oppreſſi ſint, *te confeſſurum, Decreta Concilii ex antro Latronum produſſe, neq; illum*, ſicut te, *mendacia eructare*. Age, Becane, id tibi & ſine fuco probabit.

bit. Fidem publicam & *Securitatem pleniſſimam durãte Concilio Tridentino, omnibus Gentibus & Nationibus vniuerſi Orbis Chriſtiani, non veſtræ tantũ, ſed & noſtræ fidei ſociis, promiſſam eſſe* dicis: toto itaque Concilii tempore, noſtræ Fidei ſocii in vniuerſo orbe Chriſtiano, ſub ſecuritate generali & pleniſſimâ exiſtentes, ab omni perſecutione liberi, & ſub Põtificis, velut Paſtoris & Iudicis vniuerſalis, & Concilii tutela, propter fidẽ omnibus datã, nullis ſuppliciis afficiendi erant. Non enim aliter ſecuritate vti, vel ad Concilium venire poterant. Sed contra illam publicam & pleniſſimam (quam vocas) Securitatem in Hiſpania, Gallia, Anglia, Belgio, à tẽpore publicati Concilii à Menſe ſcil. Nouẽb. anni 1542. ad annũ 1563. menſem Decemb. quo illud terminatum fuit, aliquot hominũ millia ex noſtræ fidei ſociis, ferro, laqueo, igne, aliisque ſuppliciis atrociſſimis ſublata eſſe, Acta vrbiũ (in quibus Inquiſitio veſtra vigebat) nimis euidenter oſtendunt: quæ nec tu, vtpote à Pontificiis ipſis conſcripta, in dubium vocare, aut vis aut potes. Sed quid ſingulos martyres Batauus commemoret? Integris lanienis, cõtra Edicta Regis publica & ſecuritatẽ veſtram pleniſſimã commiſſis, recenſendis commentario, & quidẽ magno opus eſſet. Vides itaque, Beiane, Batauum tibi ea, quæ promiſit, præſtitiſſe, & nunc tuã confeſſione, Decreta Concilii Tridentini ex Antro Latronum prodiiſſe, veriſſimaque

Becanus conuictus fatetur, Cõcilium Tridentinum Latronum antrũ eſſe.

eſſe, quæ de Cæſaris per Hiſpaniam, Germaniam & Belgium, de Franciſci II. & Caroli IX. per Galliam, & de aliorum, quos breuitatis cauſa omittit, perſecutionibus, ab eo relata ſunt. At inquies, Becane, noſtrorum nullos Tridenti occiſos fuiſſe. Hîc iterum & Beianum te oſtendis, & Phariſæum ſimul agis, qui ſe à ſanguine Prophetarum innoxios eſſe dicebant, quia ipſi eos ſuis manibus non occidebant, [a] ſed condemnatos ſeculari poteſtati mactandos tradebant; Miratur Batauus te tam Atheologum eſſe, cū Chriſtus [b] apertè illis dixerit, *eos magis peccatum habere, quàm ipſam poteſtatem*. Nonne vos condemnaſtis Tridenti Euangelicorum doctrinam tanquam Hæreſim, ob quam ſecularis Magiſtratus ipſos vndique, ſecundum veſtra mandata, grauiſſimis ſuppliciis perſecutus eſt? Annon, etiamſi Chriſtus Hieroſolymis crucifixus ſit, in vrbe Roma interfectus eſſe dicatur? quandoquidem authoritate Romani Imperii iſtic morte affectus fuit, ſub iudice Romano, à Principibus Sacerdotum criminis in Romanum Imperiū, licet iniuſtiſſimè reus factus? Vnde rectè S. Iohannes dixit, [c] quod *in eâ ciuitate ſanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus ſit, omniūque qui interfecti ſunt in terra*. Sic quoque Ieremias Iudæis exprobrat, quod *ſanguinem innoxium in templo* Hieroſolymitano *effunderent*, licèt illud *Templum Domini* appellarent;

[a] Pari arte Bellarmin. manus ſuas à proditione per Cāpianū, eius præceptis imbutum, in Reginam Eliſabethā tentatâ, ſaluare conatur: *mortem eius velut pro Religione ſuſceptam, pretioſam in cōſpectu Domini eſſe non dubitans.*

[b] Iohan. 19. ℣. 11.

[c] Apocal. 18. ℣. 14.

rent;

rent; non quod inibi de facto Prophetarum ſanguis effunderetur, ſed quod in Synagogis illorum, ipſi citra legitimam cauſæ cognitionem Scribarum & Phariſæorũ conſilio condemnarentur, & Magiſtratui ad occiſionem traderentur. Non enim ſoli Magiſtratus & Iudices, ſed & cõſultores, & legum iniuſtarum authores, ſanguinis innoxii rei ſunt. Sic noſtros in variis Regnis & Prouinciis Epiſcoporum, Monachorum & Inquiſitorum (quorum pars magna tum Tridenti in Synagoga Romana, vt Scribæ & Phariſæi, ſedebant) ſententiis citra cauſæ cognitionem, condemnatos, nõ alibi quàm in iſto Concilio contra ſecuritatem publicã occiſos fuiſſe, dicere vos & fateri oportet; *Nam tota hoc illa Synagoga fecit, quod tota conſenſit* [a]. Habent certè, Becane, Refrænandi Patres, olim Tridenti in vnũ contra bonum coniurati, quod tibi profuſiſſimo famoſiſſimoque honoris ſui Decoctori deinceps committant, ſi quid rectè curatum velint: quando ſcilicet ita probè ipſorum pietatem defendis. Sed tandem, Becane, Batauo tecum conueniet, ſi Diis placet, quando & tu nunc conuictus, Concilium Tridentinum Latronũ antrum pari iure fateri debeas, quo Chriſtus Templum Hieroſolymitanum ſpeluncam latronum nominauit: nec eorum numero cum Batauo in poſterum (vti antè calumnioſè ipſi affinxeras) Imperatores, Reges & Prin-

D. Auguſt. 3. de Ciu. Dei, cap. 6.

cipes cenſebis, cum ille oſtenderit, eos non ſolum iſtiuſmodi impietati ſcienter nõ conſenſiſſe, ſed ſemetipſos etiam, ſuamque Maieſtatem perſtrenuè aduerſus refrænandorum illorum Patrum improbitatem, ſuperbiam, temeritatem & ſanguinaria conſilia defendiſſe; vt nec Caluiniſtas & Lutheranos: quos tibi Batauus ſuprà Euangelicos & Chriſtianos eſſe oſtendit. Rectè interim facis, quòd fatearis (id quod aliâs veriſſimum eſt) Reges & Principes Pontificios inter ſe fœdera iniiſſe ad illos extirpandos, quos vos cæci, baculi, & cadauera odioſis nominibus Hæreticos, Orthodoxi verò Euangelicos appellant: Batauus id tibi non ſolum concedit: ſed multò arctiora ea eſſe iam pridem ſciuit, quàm vnquam fuerint antehac, ad eoſdem cautionibus quàm acrioribus conſiliis ſtirpitùs delendos. Qua itaque fide in Concilio illo decretum eſſe dicere audes, Hæreticis de vitâ illis promiſſâ fidem ſeruandam fore, cum inibi cõſiliis veſtris fraudulentis & ſanguinariis, velut agni ad occiſionem & mactationem deſtinati, & iam multi occiſi ſint?

Fœdus ſacrum Pontificiorum.

Interim, Becane, fatêre ingenuè, ſi quæ tibi ingenuitatis mica ſit reliqua, annon ſupra modum impudentem eſſe oportet eum, qui Imperatorum, Regum & Principum literas, mandata, proteſtationes ſolennes (cuiuſmodi ea ſunt) quæ libello PRO DEFEN-

SIONI

SIONE ad probationem veritatis ſubiecta ſunt) aut fabulas aut ſomnia vocat? tanquam excommunicandi ius Romanus, tantum in Imperatores, Reges & Principes Euangelicos velut Hæreticos, Antichriſtus vſurpaſſet; cum & in ipſos Catholico-Romanos iam pridem illam tyrannidem eum vſurpaſſe, & ipſe toties fateris, & ſi negares, Batauus tibi facilimè probare poſſet, niſi hoc ab aliïs ſatis ſuperque præſtitum eſſe ſciret? Maer wat badt Kaers off Bril/ als der Eſel niet ſien en wil.

Addis in cap. IV. Batauum nectere putida aliquot mendacia, cum dicit, Legatis Regum & Principum Catholico-Romanorũ Tridenti vix tutis eſſe licuiſſe. Ergone & Henricum II. Galliarũ Regem potentiſſimum & Catholico-Romanum Hęreſcos & mendacii inſimulare, effrons Becane, audes? abi & vide Proteſtationem eius miſſam Tridentum, & per Dom. Iacobum Amyotum Abbatem Bellozanum Legatum ſuum 1. Septemb. 1551. inibi recitatam. Nam poſtquam ille commemoraſſet ea, quæ bello per Pontificem erga Dominum ſuum ſuſcitato geſta fuerant, nomine illius declarat, *Eum non poſſe ad Concilium Epiſcopos ſui Regni mittere, quando aditus ipſis nec liber nec tutus eſſet.* Vides, Becane, impudentiſſimas tuas negationes, & audes quærere, vnde Batauus hoc habeat? Videris & Bataui Confeſſarium

Tridentina ciuitas, locus ne Catholicis quidem Romanis tutus ad Concilium celebrandum.

Extat hæc Proteſtatio de Eccleſia Gall. ſtatu in ſchiſm.

agere velle. Non ſic, Beiane, non ſic; Noſti enim eum nec Pontificium nec Antichriſtianum eſſe. Sed cum, Becane, ex Batauo quæris, in qua ſeſſione Concilii Decreta reperiantur, quibus Tridenti conſtitutum ſit, quòd Reges & Principes Catholici ad libitum Pontificis ſint excommunicandi, & Regnis Imperiiſque ſuis exuendi, oſtendis, te ius, in quo verſaris, penitus ignorare; cum Concilii illius decretis pleraque ſanctæ fidei Catholicæ capita condemnētur: quæ ſi quis deinceps profiteretur, fuerit is Rex aut grex, vt Hæreticus excommunicatus, & anathema maranatha foret: quam Eccleſiaſticorum temeritatem ita amplificando vos extendiſtis, vt priuatis quoque in illos propria authoritate, ſicæ & veneni ius eſſe volueritis. Quid verberas aërem Becane? Et dum illa tibi probat, quæris, an Batauus exiſtimet, *Pontificem ipſius eſſe ſimilem?* tanquam ipſe *andeat decernere, Regem Hiſpaniæ ſuo Regno exturbandum eſſe?* Veſtra hæc, Becane, dogmata & axiomata ſunt, qui etiam priuatis & ſingulis lege incumbere dicitis, vt Reges & Principes, impio veſtro iudicio Hæreticos & Tyrannos declaratos, quouis modo è medio tollant. Quod ſi vos priuatis iure licitum eſſe traditis, Reges, velut Hæreticos, occidere: annon idem etiam Batauis & aliis in pari caſu licebit? Hæc eſt veſtra lex, Becane, non Batauorum, qui Chriſtum Domini

occi-

occidere nefas eſſe credũt. Vos eſtis Regũ & Principũ (quos Hæreticos aut Hæreticorum fautores vocatis) Parricidæ & venefici, non Bataui, qui etiam à Pontificiorum & Ethnicorum Regum ſacratis perſonis manus puras habendas eſſe docent. Bataui nõ ita cum Principe ſuo agunt; illos propter Hæreſin non excõmunicãt, nec hoc ſuis licere ſciunt. Scelus illud Antichriſti & Antichriſtianorum peculiare eſt. [a] Quid itaque quæris, Becane, ex Batauo, tanquam is ſe Pontifici ſimilẽ eſſe glorietur? Abſit, abſit, vt ille, quem tu terræ filium appellas, ita ſe efferat, vt ſacratiſſimo Dei huius ſeculi filio ſe aſſimulare velit, nimis periculoſum [b] hoc eſſe exemplo miſeri illius Burgheſii veſtri, non ita pridem Lutetiis Pariſiorum, quia ſe filium Põtificis [c] dixerat, vſtulati, didicit: mauult ille ſatiusque credit, ſe adoptione filium Dei æterni factum eſſe, qui ſuos gratuitâ benignitate ab igne æterno liberat, & non vt Deus huius ſeculi igni & temporali & æterno mãcipat. Vobis altam illam originem à Deo illo liberis concedit, quia longâ ſucceſſionis ſerie ad vos velut ex eadem progenie oriundos pertinet.

[a] Non Chriſtianorum qualem ſe Batauus oſtendit.

[b] Batauus Pontifici non eſt ſimilis.

[c] Filiũ Pontificis eſſe, periculoſum eſt.

Pari ingenii acrimoniâ, Beiane, in Quinta tuâ Quæſtione refricas illud de Comparatione Iuriſdictionis [d] Ciuilis & Eccleſiaſticæ. Sed quid toties crambem recoquis atque reponis, cum bis poſita mors ſit? Verbi

[d] De iuriſdictione Politica & Eccleſiaſtica Bataui ſententia.

diuini authoritatem ſupra omnem humanam poteſtatem iure exaltamus, etiamſi illud nobis ab Infantibus, & ab ouium Paſtoribus annunciaretur, non tamen tu, Becane, Infantes & Paſtores tales ſupra Reges & Principes, Vicarios Dei, efferre volueris. Quidni tecum fatear, verbo Dei, à quocunque rectè & legitimè prolato, etiam maximos Reges Principesque ſubeſſe debere? Sed quod tu inde cum aliis tuis cornutis Patribus per indirectum concludis, propterea Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, & minimos ſacrificulos, velut illius verbi miniſtro, poteſtate & dignitate publicâ, in omnibus ſupra Reges & Principes eſſe; id neque directè, neque indirectè tu ex ſacris literis probaueris; locumve attuleris vnum. Profer, ſi potes locum, vbi ſcriptum reperitur, eos (quibus Verbi & Sacramentorum diſpenſatio & miniſterium à Chriſto commiſſa eſt) ſupra Reges & Principes collocatos eſſe; ſed è contrario noſti, quod *omnis anima poteſtati ſit ſubdita*; *Reges gentium dominabuntur earũ, vos autem non ſic*; Et cum D. Paulus Eccleſiæ primitiuæ formam deſcribit, non B. Petrum primo loco tanquã caput nominat (quod enim inuiſibilis & myſtici corporis caput viſibile eſſe poteſt?) Sed dicit Eccleſias veras eſſe membra Chriſti; nullum autem eorum eſſe caput, ſed ſolum Chriſtum. Quare etiam non vnum Apoſtolum
tanquam

tanquam Vicarium Chriſti nominat, ſed inter membra Chriſti primum collocat *omnes Apoſtolos*; deinde *Prophetas*; tertiò *Doctores*, &c. *ſolum* ille Gentium Doctor, *magnum ouium per ſanguinem fœderis æterni paſtorem* [a], *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum* appellat. Tu nunc, Becane, ex ſacris literis Batauum doce, vel Chriſtum vel Apoſtolos aliud corporis myſtici Chriſti caput miniſteriale & viſibile conſtituiſſe, & eris ipſi magnus Apollo, & tibi tuisque aſſentietur, quòd ſecundũ poteſtatis à Domino acceptæ modũ omnibus idem imperare poſſit. Fidẽ Chriſtianam haud dubiè, Becane, noſti circa inuiſibilia verſari; Aliud enim eſt videre, aliud credere. At cum doceamur credere ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſtatuimus eam eſſe inuiſibilem. Inuiſibili autem Eccleſiæ duo capita affingere, myſticum & viſibile, monſtrum eſſet, nec vllo modo aut proportione conſtaret. Cætera quæ ex maleferiato tuo aliorumque cerebro, ad probandum veſtrum, cæterorumq; Eccleſiaſticorũ ſupra Reges & Principes imperium, attuliſti, vti malè ad rem contorta, ita tanquam nullâ S. Scripturæ auctoritate munita, non magis, quam alii Orthodoxi, Batauus admittere poteſt. Nam etſi omnes Imperatores, Reges, Principes & Magiſtratus ouiũ numero cenſeri poſſint, hoc tamen non Pontificis Romani, ſed Chriſti ſummi illius Paſtoris (cu-

[a] Heb. 13. ℣. 20. Ad Epheſ. 4. ℣. 5.

[b] Cõſtituere Hominẽ, caput viſibile ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, eſt contra articulos fidei.

[c] De Iuriſdictione Eccleſiaſticorum temporali.

ius & ipſi Eccleſiaſtici, ſi ſint fideles, oues ſunt) intuitu dicitur. Fatetur interea liberè Batauus cùm Caluino, Imperatores & Reges eſſe Filios Eccleſiæ Dei, eosq; ſubiectos eſſe debere Eccleſiæ, ſed *ex verbo Dei iudicanti*, non autem ſingulis hominibus in Eccleſia Dei exiſtentibus: ſicuti omnes pii Eccleſiaſtici etiam in Eccleſia Dei ſunt, eique ſubſunt, & nullus eorum ſupra vniuerſam Eccleſiam, nedum ſupra Reges, Principes aut Magiſtratus eſt. Quidni etiam ſi Deo in Eccleſia, cuius Chriſtus caput eſt, ſubſint; an non omnis poteſtas, à Deo ordinata eſt? an non ordinator ſit ſupra ordinatos: ſed nō eſt miniſtrorum Eccleſiæ Reges & Principes ordinare, Dei ſolius hoc eſt, illorum, vt verbum Dei & Sacramenta, ordine ſacro diſciplinaq; Chriſtiana ſeruata adminiſtrare, ceteroquin cū omnis anima poteſtatibus ſubiecta eſſe debeat, ergo & Eccleſiaſtici; quod autem ſubiectum eſt, ſe ſupra id, quod dominatur, efferre non debet. Ambroſius etiam Imperatorem non appellat Filium Pontificis, ſed Eccleſiæ, cuius non Pontifex, ſed Chriſtus caput eſt. Diſce igitur tu, Becane, à Batauo melius, ſi potes, nec Ambroſii & Caluini ſententias, quando Batauum docere vis, more veſtro, ita malè amplius detorque; nouit ille, pium Magiſtratum ſponte ſe Eccleſiaſticis verbum Dei docentibus ſubiicere debere, vti & ipſorum iudiciis, ſed

ſecundum

ſecundum clauſulam, *ex verbo Dei prolatis*, cui etiam omnis Ordo Eccleſiaſticus ſubeſt. Secundò diſce, ſanctam Eccleſiam Catholicam non habere aliud caput Eccleſiaſticum, quam Chriſtum. Nullus Eccleſiaſticorum, ſecundum ordinem à D. Paulo præſcriptum, capitis vniuerſalis titulum ſibi attribuere poteſt; cum omnes eiuſdem Chriſti membra ſint. Vicarii Dei in terris Magiſtratus ſunt; his vtriuſque legis cuſtodia primariò demandata eſt; vt verba & Sacramentorum Eccleſiaſticis Miniſterium; Illam à vobis non ita pridem renouatam opinionem, (quâ Pōtifici, tanquam ſoli Chriſti Vicario, eiuſdemque poteſtati ſpirituali & ſeculari, omnes fideles ſubiectos eſſe, ipſosque Principes Pontificis, præceptis Rebelles Regno & dignitatibus exuere poſſe tradebatur) iam olim, & à Sorbona Pariſienſi, & ab aliis Catholicis, velut ſcandaloſam damnatam eſſe noſti, &c. Tertiò diſce, eos, qui Eccleſiaſticos, qualeſcunque illi fuerint, Regibus & Principibus præponunt, ſecundum loca ſuprà allegata, Antichriſtianos eſſe, eorumq; numero etiam te comprehendi. Sed inter Anteſignanos referendus eſt Bozius & alii, & inprimis Marta, quod ſupra cæteros omnes iuris diuini & humani inſulſiſſimus Decoctor ingenti tractatu docere nititur, p *Pon-*

Vide Thouan. libro xxviii. Hiſt.

Marta I C. Neapolitanus Antichriſtianus.

p Pontificis ad Monarchiam temporalem propoſitum.

tificem habere ſummam poteſtatem in Temporalibus, non ſolum habito reſpectu ad Spiritualia, ſed etiam ad Temporalia, naturaliter & temporaliter. [b] Item, *Papam habere dominium & iuriſdictionem temporalem in vniuerſo temporaliter.* [c] Item cap. 26. vbi docere conatur, *Reges & Principes totius orbis non eſſe ita exemptos, vt non ſint ſubditi Imperio Romano, quod dicit nunc à Pontifice teneri, & ſanctâ Romanâ Eccleſiâ.* Atq; hæc omnia Pōtificis Decreto voluntate & approbatione apertè laudata & confirmata ſunt. Quid? manifeſtiſſima vtriuſq; poteſtatis atq; adeo crudeliſſimæ in vniuerſos Reges & Principes & populos tyrannidis vſurpatione comprobata: Sic vt non amplius opus ſit, Becane, fallaci veſtrâ *directæ & indirectæ poteſtatis* diſtinctione, quâ clandeſtinum vaferrimæ Beſtiæ ad vniuerſalem Monarchiam propoſitum Principibus adulando tegitis, cum videatis ipſi, Pontificem velut exlegem indiſtinctè *ſe ſuper omne id, quod Deus eſt, efferre*, ambitioneque & auaritia ductum ad Monarchiam vniuerſalem aſpirare, atque ita iure meritiſſimo, veſtris metipſorum iudiciis, verum Antichriſtum & ſeptimam Beſtiam eſſe.

[b] Part. 1. cap. 18.
[c] D. 1. part. cap. 22. 23. 24. 25.

Sapientiſſimè itaque, atq; adeò fortiſſimè Iacobus I. sereniſſimus Magnæ Britanniæ Rex fecit, quod ſaluberrimâ ſuâ Monitoriâ; quam nuper Apologiæ tuæ pro Iuramento fidelitatis aduerſus Tortuoſum Bel-

larminum præfixit, ſupremos Reges, Principes & Magiſtratus aduerſus Pontifices, vafros illos vniuerſi orbis Raptores, excitet, erudiat, extimulet, non ſolum ad *ius Agni, qui vincere debet*, contra lupos Romanos defendendum, ſed etiam ad ſuammetipſorum Maieſtatem, quam Gratiâ Dei obtinuerunt, contra Catholicam illorum impietatem, rapacitatem & tyrannidem fortiter & conſtanter propugnandam; cum minimè dubitandum ſit [a], communem eorum omnium, qui in ſummo Imperii & dignitatis gradu à Deo collocati ſunt, cauſam in eo agi, quando *Seruus Seruorum*, ſuperbiâ inflatus, eos, quorum miniſter eſſe debet, de Throno Imperiali & Regio deturbare, eundemque ipſe vel vi, vel fraude, occupare tentat. Hoc ſi forte Catholicorum Regum quidam, vel poculo Magnæ Meretricis nimis inebriati, ſoporeque profundiore capti, non videant, vel cæcâ veſtrâ, Becane, obedientiâ excæcati, atque ita intellectu & ſenſu priuati, non intelligant aut ſentiant: an non Regum aliorum eſt, illos, velut fratres, eiuſdemque periculi ſocios, Regio Dauidis exemplo, ab impiis & fallacibus Pontificum conſiliis, ad verā Dei agnitionem, vitæ ſanctimoniam, atque adeò ad *eruditionem & intelligentiam*, excitare? Vt Deo chari, & Spiritu intelligentiæ illuminati, ſe ſuaque Regna, mutuo & ſalutari

[a] Communis Regum, Principum & Populorum cauſa, quomodo & quando agatur contra Pontifices Roman.

conſilio & auxilio, aduerſus impoſturas & rapinas Meretricis illius Babylonicæ, *R*egiè tueantur? Hoccine aliquis, Reges & Principes ad defectionem à vera Eccleſia ſollicitare, dicere poteſt, & calumniator non fuerit?

Cap. 2. Apolog. ſuæ pro Reſponſ. Torti.

Quod itaque Bellarminus veſter negat, *communem eſſe cauſam Regis Anglorum cum Regibus & Principibus Chriſtianis & Catholicis*, in eo certè planum ipſum ſimul & calumniatorem agere, facilè fuerit oſtendere; Calumniatorem, quod Iacobum I. Magnæ Britanniæ Regem Hæreſeos & Apoſtaſiæ falſo accuſet, Chriſtianum autem & Regem eſſe neget: Planum verò, quod eos, qui ſeruituti & tyrannidi Antichriſti Romani *abſolutâ quadam & cæcâ*, vt Ieſuitæ loquuntur, *obedientiâ* obnoxii ſunt, ſolos Chriſtianos, Regesque & *P*rincipes eſſe, aſſerat: cum Regnum & Seruitus, Imperium & obſequium, ſint Relata. Vel ergò Pontifices, abſolutos in vniuerſo Orbe Monarchas, vel reges Catholicos, eidem in temporalibus æquè ac in ſpiritualibus obtemperantes, abſolutos eſſe reges, negare eum oportet. Vnius enim eiuſdemque regni duos pluresve in ſolidum dominos eſſe, natura non patitur. *P*lanus namque atque impoſtor is eſt, qui dum nomen & vmbram alicui pro re ipſa venditat, eidem per geſticulationem rem ipſam ſubducit: Calumniator autem,

qu

qui falſa crimina ſciens prudens alteri affingit. Verum Impoſturæ & calumniæ Tortuoſi illius & fraudulenti viri Orbi Chriſtiano clarius meliuſque patefaciendæ ſunt: Hoc autem commodius fiet, ſi verba Bellarmini Cardinalis cum iis, quæ Legati Hiſpanici de conſilio eiuſdem Sedis Romanæ apud eundem Magnæ Britanniæ Regem pacis orandæ cauſſa antehac fecerunt, comparentur. Vti enim hi *Regis* ſui nomine Iacobo I. Scotiæ Regi primùm, *de felici in Angliæ & Hyberniæ Regna ſucceſſione, congratulabantur, omneſque totius Imperii ſui terra marique vires, ad eius commodum & vtilitatem*, velut ad communem cauſſam, *tuendam*, *offerebant*, *fidemque dabant*, *Regem ſuum nullo in loco, in omnibus rebus, quæ ad dignitatem & amplitudinem vel augendam vel confirmandam pertinerent, officio amantiſſimi Principis defuturum*: Sic nunc è contrario veſter ille Tortuoſus Bellarminus, de Scrinio pectoris eiuſdem Pontificis, ita loquitur: *Quid habet*, inquit, *commune cauſa Regis Anglorum cum cæteris, cum ipſe hoc inprimis contendat, vt populos ſuos ab obedientia ſummi* Pontificis, *atque eo modo à Chriſti corpore* (*quod eſt Eccleſia*) *ſeparet, ac ſecum in inferna demergat?* Tanquam ſi communis cauſſa *Principum* Chriſtianorum in eo conſiſteret, vt Pontifici, ipſique Anti-

Verba orationis, quā Senator Rouida in prima conferentia habuit in Anglia, cum de Pace cū M. Britanniæ Legatis ageretur. Vide Relationem cōneſtabilis Caſtiliç, f.10.

chriſto, vel à regibus, vel à populo, obedientia præſtaretur: & qui Chriſtum ſolum, reiecto altero monſtroſoq; illo capite, pro capite S. Eccleſiæ agnoſcunt, de vera Eccleſia Chriſti non eſſent: & qui, deniq;, ex Babylone, ſecundum altiſſimi præceptum exeunt, in inferna demergerentur; cum à peccatorũ eius communione illos abhortãdo, ad vitæ beatæ participationem ipſos inuitet S. Ioannes. Ad hæc ſicuti idem Rouida, nomine Regis ſui, *Jacobum I. Principem omnibus Regiis virtutibus florentiſſimum, & conſiliorum Reginæ nec auctorem, nec participem*, nominat, eundemque inter *Chriſtianos Reges & Principes*, frequenter recenſet, atq; adeo de *fœdere inter hoſce Chriſtiani orbis potentiſſimos Principes ineundo* orationem inſtituit, *ad amplitudinem vtriuſq; promouendam Reges hos arctiſſimis amoris & beneuolentiæ nexibus diuinam clementiam inuicem, ſecundum commune deſiderium colligaſſe* affirmat, & denique *eandem vtrique ad caput ſerpentis conterendum, improbosque Zizaniæ ſtatus conuellendos, ſententiam ſinceriſtare* concludit: Sic è contrario Tortuoſus ille Tortus, ſpiritu contradictoris ductus, Regi illi laudatiſſimo non virtutes Regias tribuit, ſed *nugas, conuitia, temeritatem, vanitatem, impudentiam, blaſphemias, cauillationes, imperitiam, leuitatem, malam fidem, impoſturã* perfidè adſcribit: eundemq; *non Catholicum*

ſed Hæreticum, non Chriſtianum, ſed ex Chriſtiano Calviniſtam factum, confirmaſſe crudelia edicta Eliſabethæ Reginæ, calumnioſè notat. A quibus contumeliis cum Bellarminus ſe purgare velle videtur, monachali impudentia & Cardinalitia temeritate, multò atrociores, & Regi potentiſſimo non ferendas iniurias inferre pergit, quum dicit, [b] *eum quaſi fidei Catholicæ dogmata conſpuentem, Hæreticum & non Chriſtianum eſſe*, & talem, *quem Regum quidem Ordini Sceptrum & corona coniunxerit, ab ipſorum verò communione Hæreſis & Schiſma diſiunxerit.* Hinc facilè quiuis viderit: cum inter Catholicos non ſolum Spiritualia, ſed & Temporalia, ſolius [c] Pontificis, velut Iudicis vniuerſalis, conſilio & nutu ducantur, nec minus Hiſpanicorum illorum Legatorum, quàm omniũ Cardinalium & Ieſuitarum, Cõſilia & facta eius ſolius arbitrio impellantur: contraria, id eſt, adulationes, ad cautius fallendum, & cõtumelias, ad impudentius contemnendum, ex vnius ore prodire, ideoq; Pontificem Impoſtorem omnium peſſimum & maximũ eſſe, & *ſpiritu contradictionis, mẽdacii & perfidiæ* indeſinenter agitari: idq; in eum tantummodo finem, vt Catholicam in omnes vniuerſi Orbis Reges & Principes tyrannidem, per ſummum nefas, tantò facilius rapere poſſit.

Sed accuratius conſiderandũ, quid annoſum illũ Pardum Rom. mouerit, vt sereniſſ.

Tortus in Reſponſ. ad Apol. pro iuramento fidelit. cap. 5. p. 22.

[b] R. Bellarminus in ſuprad. ſua Apolog. c. 5. fol. 65.

[c] *Hi vnum conſilium habent, & vires ac poteſtatem Beſtiæ tradent.* B. Ioh. cap. 17. v. 13. & 14.

Magnæ Britanniæ Regi per Sannatorem Rouidam, velut Hiſpani Oratorem perſuaderi voluerit, quod ab illis pro principe omnibus regiis virtutib. ornatiſſimo & Chriſtiano haberetur, cauſaq; communis ipſi cũ regibus & principibus Catholicis (quos iam vinculis Concilii Trid. ſibi arctiſſimè deuinctos tenet) in pace Romano-Hiſpanica promouenda ageretur, cum ſummus & præcipuus Pardi illius in ea ſit ſcopus, vt decreta concilii ſui in vniuerſum orbẽ inducantur, & ita ipſius in omnes reges & principes, maximè verò hæreticos, ipſiq; rebelles, dominatio reſtauretur: Ieſuitę verò & Cardinales, qui, vt corpus animâ, maligno Antichriſti ſpiritu mouentur, eundem Iacobum nec *Chriſtiani*, nec *Regis nomine, niſi abuſiuè*, dignũ eſſe, variis editis ſcriptis teſtentur, atq; adeò *Regis Anglorum cauſam cum cæteris Catholicis regib. communem eſſe* negent. Quid denique eundem illum patrem patratum moueat, vt populis hęreticis, ipſiq; rebellantib. per ſuos perſuadere conetur, ipſis cauſam cum regibus & principib. maxime Catholicis, atq; adeò contra Hiſpaniarum regẽ, filium ſibi obedientiſſimum & primogenitum, communem eſſe. Plurimæ & maximi momẽti cauſæ hîc exhiberi poſsẽt, ſi fraudes illorũ omnes vel detegere, vel enumerare liceret. Breuitatis cauſa craſſus Batauus hîc tantũ aliquas recenſebit, vt vafræ illæ & perfidæ conſilio-

rum

rum mutādorum cauſæ omnibus eò magis pateſiant. Nam in huius *Hominis peccati* detectione non modò omnium Regum & Principum, ſed & Populorum Chriſtianorum & Catholicorum in vniuerſo orbe, communis cauſa vertitur; cum Depaſtori illi non ſufficiat, alterutros deglubere: omnes ille pari fraude & voracitate petit, cum populos æquè ac Reges & Principes omnes cæcâ quadam ſuperſtitione & obedientiâ ſibi ad nutum obnoxios eſſe velit. Ad eum autem ſcopum vt minore ſuo ſuorumq; periculo peruenire poſſit, ancipiti bellorum alea reiecta, ad fraudis conſilia, velut tutiora & certiora, animum Pontifex aduertit. Eorum enim omnium potentia, qui acerbiſſimo Antichriſti iugo excuſſo, Regnisq; & Prouinciis à ſeruitute Romana vindicatis, cultum diuinum priſtinæ veritati, ſimplicitati & nitori reſtituerunt, ſi conſiliis puris viribusq; propriis adminiſtraretur, Pontificibus non ſolum inſuperabilis, ſed etiam mirum in modum extimeſcenda foret. Aſtus itaq; illius prior eſt, vt Reges, Principes & populos eiuſdem periculi ſocios, ſuſcitatis æmulationibus, à ſe inuicem ſeparet, diuiſos verò inter ſe, ſi poſſit, ita committat, vt ipſo cum voluptate ſpectante, ſeſe inuicem perdant. Si id non poteſt, quosdam ex ſuis Amaſiis, velut communis mali arcendi & vtilitatis promouen-

dæ ſpecie, iræ modo temperato, amicitiaque vel ſocietate oblata, iiſdem coniungere tentat, eo propoſito, vt conſiliis illorum exploratis, eoſdem variis artibus & rumoribus moretur, & fruſtretur, imò in illos ipſos conuertat. Hæ ſunt antiquæ Romanorum fraudes, eædem noſtrâ memoriâ aliquoties in Euangelicos, tanquam filios ſedi Romanæ rebellantes, repetitæ. Inter hos cum etiam Iacobum Magnæ Britanniæ Regem Pontifex recenſeret, eiuſque vires, propter recentem duorum tam potentium regnorum acceſſionem, & fida cum cæteris Regibus, Principibus & ordinibus Septentrionalibus fœdera, terra mariq; maximas, inprimis timendas haberet, vt illum beneficii oſtentatione ſeduceret, & ſemetipſum non tantum ab iuſto illius metu liberaret, ſed etiam Regna illa, & cæteros Septentrionales Hæreticos, ad ſedis obedientiam, illius metipſius, ſi fieri poſſet, ope, reduceret: primum ad pacis conſilia, maximis æquitatis & vtilitatis ſpeciebus oſtentatis, ipſum hortari, viſum fuit: quod tamen ea fraude factum eſt, vt in ipſo Regnorum ſuorum aditu feliciſſimo, atq; adeo cum de [a] Pace hæc cum illo tractaretur, non ſolum in ipſum Regem proditio peſſima agitata fuerit, ſed etiam inter caput & membra, coniunctaq; Regna (quæ non niſi concordiâ Regem illum hoſtibus

[a] Vide actionem in Henricum Garnetum.

ſtibus ſuis reuerēdum reddere poſſunt) diſſidia, ad omnium interitum ſic accelerandum, excitarentur. Quò etiam quidam illa conſilia tēdere aiebant, quib. optimo Principi, non ſuprema (quæ certè Regib. omnibus ſacroſancta & intemerata cuſtodienda eſt) ſed ſoluta Regū poteſtas, talisq; Regnorum & Religionū vnio, ſub ſpecie recti, ſuggerebatur; ex quib. & ipſi Regi, & omnib. illis Regnis grauiſſimæ diſſenſiones, atq; adeò, niſi ſapientia & ſumma Regis moderatione temperatæ fuiſſent, omnium euerſiones ſequi potuiſſent; cum ex antiqua *Regum* Britanniæ ſuprema poteſtate, Parlamentorum ſacroſanctis conſiliis & ſuggeſtionibus firmata, & legum fundamentalium & Priuilegiorum in omnib. Regnis æquabili conſeruatione, & Religionis Chriſtianæ moderata defenſione, pax Regnorum domi, & Principis Maieſtas foris, aduerſus Antichriſtum, implacabilem veræ pietatis, ſupremæ *Regum* poteſtatis & Regnorum omnium hoſtem, defendi cōmodius poſſent. Ab illo priori aſtu ad alios prodeundo Pontifex, indutâ pelle ouinâ, Regem illum per Amaſios ſuos, inter *Greges ſui ouilis*, *Regesque & Principes Chriſtianos* ([b] Hæreſeos & inobedientiæ erga ſedem mentione, velut intempeſtiuâ, per fraudē [c] ſuppreſsâ) ſe recenſere fingit, (etiā ſi *Catholicis cū Hæreticis & inobediētibus*

b Vide Action. in Garnetum fol. 3.

c Tacita non nocērt, quæ expreſſa nocerēt.

vllum commercium eſſe, Romana ſuperſtitio vetet) ex vſu ſuo futurum credens, ſi publica ſuorum fide abutendo, illum, velut Regem, inter aliorum Catholicorum Regum ſocios & fratres ad tempus haberet, etiamſi ille nullum Hæreticum regnare poſſe ſtatuat: vt hac ſimulatâ Catholicorum opinione, velut verâ, imbutus Rex, eò facilius ad Catholicorum fœdera & ſocietates accederet, conſiliaq; & auxilia, velut ad cõmunem Regum & Principum maieſtatem, dignitatem atq; vtilitatẽ promouẽdam, quam à Pacis ſuæ generalis procuratione depẽdêre affirmabat, iuuaret; vti ex verbis ſequentibus Legatorum Hiſpanicorum videre eſt: *Tot enim vincula*, inquit Sannator Rouida, *quibus animi Regum conglutinari ſolent, vno eodemq; tempore non niſi diuina ope conglutinari potuerunt, vt tandem aliquando quies & tranquillitas Chriſtianis Prouinciis reſtitueretur, & innocentes populi à tot calamitatibus, quibus diuexati fuerunt, reſpirarent, ceſſaretq; horrenda illa à Deo abominabilis Chriſtiani ſanguinis inter Chriſtianos Principes effuſio.* Vide quæſo hîc, Becane, Sannatoris veſtri fraudes; quot enim verba in illa orationis parte, tot penè ſunt Æquiuocationes: cum veſtris præceptis imbutus Angliæ, Hyberniæ & Scotiæ Regna inter *Prouincias Chriſtianas* numeret, quæ vos inter Regna & Prouincias Hæreticas, & ſedi Romanæ rebelles, alibi multoties

toties recenſetis: cum *populos* [a] *innocentes* ille communi nomine iactet, qui à vobis vbiq; *Regnorum peſtes*, atq; adeò *impiorum peſſimi*, nuncupantur: cum *Chriſtianos Principes* nominet, quos ne quidem in *Regum & Principum numero* [b] vos recenſere dignamini: cum deniq; Pontificem *horrendam & Deo abominabilem Chriſtiani ſanguinis effuſionem abhorrere* fingat, vbi Itali, Hiſpani & alii, eos, qui à Magnæ Britanniæ Rege pro veris Chriſtianis habentur, igne ferroq; hactenus ex ſuis Regnis & Prouinciis ſtirpitus delere nituntur; nullusq; alius in Pace illa, quæ offertur, ſcopus eſt, quàm vt Pontifex ſatellitum & Sicariorum ſuorum (quos ille *Chriſtianos & innocentes* indigitat) cuti parcendo, pacis Romanæ veneficio Regna illa iiſdem aperiat, quò Regem & Regiam familiam, totumq; populum Britannicum, velut *Hæreticum*, & ſedi Romanæ *rebellem*, veneno, ferro, igne ſulphureo (dictu horrendum) internecione delere poſſint. Aut certè hoc verum eſſe oportet, aut crudeles, atque adeò inhumanas illas lanienas, proditiones, & cuniculos ſulphureos (quibus Euangelicos plusquam Phalarica tyrannide perſequimini) non abominabilem Chriſtiani ſanguinis effuſionem, ſed iuſta peſtiferorum hominum ſupplicia nominatis. A Chriſtianorum enim appellatione Hæreticos & Rebelles, vos excludere, & Cardina-

[a] Sic ipſe veſter ſanctus Garnetus, ad quæſtionem ſibi à Cateſbio proditore propoſitam, An *inter multos ſontes, inſontes etiam nõnullos vnà perdere, & è medio tollere poſſit*: reſpondet, omninò fas & ius eſſe; Ita inter Catholicos & Euangelicos diſtinguẽdo. Act. dict. fol. 79.

[b] Vide ſuprad. locis in Action. in Garnet. fol. 2. 21. 22. 23. 24. & aliis.

lis veſter, & alii innumeri ſcriptores, imò ipſi Reges & Principes, veſtris præceptis imbuti, ſcriptis ſuis apertiſſimè teſtantur. Veſtræ diſciplinæ iſtos æquiuocationis fœtus & fœtores eſſe, Becane vides, ſicque conſtat, verum veſtrum ſcopum, quando Catholicis veſtris amicitias, ſocietates, & fœdera cum Euangelicis, patri veſtro patrato rebellibus, permittitis, nullum aliũ eſſe, quàm vt ſecundum conſilium Molani veſtri, *Catholici Rebellibus permixti* ipſorum cõſilia perimari & corrumpere, & ſibi vtilia in ipſos, velut *impiorum peſſimos*, conuertere poſſint. Vti etiam reipſa poſteà contigit, vt hinc Magnæ Britanniæ Rex, quorundam Pontificiorum amicitiâ velut fidâ vndique fretus, & inter Reges Catholicos pro vero Rege & Chriſtiano habitus, indè callidè magnâ Fœderatorum potentiâ territus, pacem bello prætulerit, eandemque (quantumuis re ipſa inſidioſiſſima reperta ſit) etiam apud vicinos, præcipuos, ne dicam ſolos, & a[illegible]o, Maieſtatis dignitatis & libertatis Regum, Principum, & populorum, aduerſus illum Orbis Raptorem, propugnatores, cum illorum non leui (vt videtur) detrimẽto, propagare voluerit. Et quo alio præmio, quàm vt vano falſoq; Fœderatorum potentię, tanquã hoſtilis, metu territus, Pontificẽ, hoſtẽq; cõmunẽ, certo veroq; armo-

armorũ hoſtiliũ terrore liberauerit? ipſeq; nefandis illis cuniculis ſulphureis,(quib.funeſtiſſimum ipſi, totiq; eius *Regiæ* familiæ, atq; adeò omnib.illius Regni ordinib.exitium, ni Deus, ꝓ immẽſa in ſuos bonitate, malum prohibuiſſet, Põtifex allatum ibat) nimiâ pacis fiduciâ expoſit⁹ fuerit? Quid prætereа? nimirum, vt, Põtifex, qui hactenus nihil ſceleratius per veneficos, ſicarios, & parricidas ſuos efficere potuit, atq; hinc ſpe ſua de ipſius *Regis* Apoſtaſia cõceptâ excidit, inde in *Regnis* ipſi⁹ & fœderatis Prouinciis res per pacẽ & inducias prope ad ſtatum illum, quẽ optat, id eſt, non amplius timendum, ſe perduxiſſe exiſtimat: hunc ipſum, Regẽ *Iacobum* nec *Chriſtianum*, nec *Regẽ* amplius eſſe, per feciales ſuos ſpirituales, id eſt, Cardinales & Ieſuitas, in omnibus mundi angulis publicè & nominatim decãtari faciat.

Sed videant nunc boni ex altera parte; an etiam populos & Ordines Euangelicos meliore propoſito Raptor ille vniuerſi aggrediatur. Equidem ſi iudicii acies vel parum intendatur, facilè ipſe ſibi vtrobique ſimilis inuenietur. Nam vt etiam Fœderatos Belgas Filius ille perditionis citra ſudorem & ſanguinem ſuorum, perdere & deuorare poſſet, metum illum, qui ipſi à Fœderatorum potentia, felicitate & conſtantia incutiebatur maximus, à ſe in potentiſſimum illum Principem, Amaſiorum ſuorum ope & induſtriâ, transfe-

rendum putauit, vt dum hic timeret, ſibi v-tilia & amanda, & Antichriſto noxia & ti-mendo perire, atque ita ipſe fallendo ea periculi & timoris parte ſubleuari poſſet. Deinde vt Fœderatorum omnium-que aliorum Euangelicorum animos in diſ-fidentiam, atq; adeò odium aduerſus Ma-gnæ Britanniæ Regem (licèt eiuſdem peri-culi ſocium, ſiue Religio Chriſtiana, ſiue Regia Maieſtas, totiusq; Regni Britanni-ci libertas, *Romanæ* tyrannidis intuitu, ſpe-ctetur) idem Pontifex pertraheret, illum arcana cum Hiſpaniarum *R*ege conſilia ani-mo agitare, abſolutam in ſubditos poteſta-tem vſurpare, & populorum libertates, & inprimis ipſorum, & quorumuis aliorum Ordinum, aduerſus ſolutam *R*egum & Prin-cipum tyrannidem motus, licèt alioquin iuſtos, propter exemplum, odio plusquam Vatiniano proſequi vulgauit: Vt ita Euāge-lici hinc æmulatione & diffidentiâ aduer-ſus illum *R*egem moti, ſinceriq; auxilii ſpe illa ex parte aliquatenus dilapſi, ad ſuorum amicitias, fœdera, conſilia & auxilia, variis beneficiis, ſparſisque in vulgus de *R*egum Pontificiorum inter ſe æmulatione & arca-na hoſtilitate rumoribus inuitarentur. In eum finem vaferrimus ille fraudator, licèt ab Hiſpaniarum *R*ege, quem Concilii Tri-dentini, Inquiſitionisque ſuæ vinculis ſatis ſibi obſtrictum tenet, nihil timendum ha-beat,

beat, Euangelicis tamen ſuggeri curat, eundem ad vniuerſi orbis Monarchiam quibusvis occaſionibus tendere, communemque non populorum tantum, ſed etiam Regum & Principum Catholicorum iuxta ac Euangelicorum, ratione vtilitatis cuiuſque, cauſam agi, vt nimia Hiſpani ambitio non tantum conſtringatur, & excreſcentia illa ad æqualitatem reducatur, ſed etiam immenſa ipſius rapiendi libido penitus comprimatur. Hanc ſpecioſam opinionem quibusuis arreptis occaſionibus, ſiue veris, ſiue falſis, tāta ingenii dexteritate, ſparſis ad id variis rumoribus, nummisque non paucis, per ſuos Pontifex perſuadere nouit (ſicuti credulitas eorum facilis, qui eadem patient) vt Euangelici, præteritorum obliti, vel ambitionis & auaritiæ aculeis excæcati, aut etiam metu adacti, ſibi perſuaderi ſinant, cauſam ſibi cum illis communem commerciaque & fœdera & alia admittenda eſſe, mutuiſque conſiliis & auxiliis incertam belli aleam cum vtilitate ſubiri poſſe; cum tamen in tali communione plerunque aliud nihil, quàm quod Lupi in ſocietate Agnorum faciunt, eos quærere ſolere, talique aſtu & fraude conſilia Rebellium diſſipare, vel in illos ipſos conuertere, atque ita ſub auxilii ſpecie vires ſociorum atterere, vel eos penitus perdere, vſu frequentiſſimo

probatum ſit. Quod vti exemplis quam plurimis & luctuoſiſſimis olim probatum eſt, ſic etiam idem induciæ Belgicæ nunc teſtari videntur, per quas etiam Pontifex armorum metu ſolutus, Fœderatorum concordiam (quâ res illorum paruæ creuerunt) domi nunc variis artibus, terrore hoſtili ſublato, turbare tentat, & inteſtinis in Religione & Politia diſcordiis (quibus maximæ ipſorum res, ni Deus auertat, tandem dilapſuræ videntur) eos faciles occupationi reddere ſtudet. Paribus conſiliis & propoſito Germaniam, Auſtriam, Bohemiam, Hungariam, aliasque Euangelicas Prouincias, quas prædæ ſuæ maturas eſſe exiſtimat, iam pridem ſub ſpecie communis boni tentauit, & etiam nunc tentat. Hæ Pontifici ſunt artes, Becane. Nam vt illa, quæ iam ſeculis aliquot tyrannidi ſuæ obnoxia tenet, non de *facto tantum*, ſed etiam *de iure* ad ſe pertinere ait: ſic etiam *Angliam*, *Hyberniam*, *Scotiam*, *Daniam*, *Hungariam*, *Bohemiam*, *vniuerſum Imperium*, *& eo vacante vicariatum*: item *liberas Ciuitates Imperiales*, *Heluetiam*, *Galliam*, *cæteraque vniuerſi mundi Regna & Imperia*, [a] licèt ab eiuſdem tyrannide nunc libera, Scriptores Pontificii ad Pontificem *iure domini* pertinere publicè tradunt. Nec vllo modo dubitandum

[a] Marta Iuriſconſultus Neapolitanus ſup. ad. part. 1. cap. 25. num. 62. & 65. Bozius ſupra allegato loco & alii.

dum

dum eſt, quin Raptor ille ſimilibus, vt ſuprà oſtenſum eſt technis, ad ſtabiliendum Catholicum ſuum dominatum, hæc omnia ad ſe rapere perrecturus ſit. Sic vt veriſſimè & prudentiſſimè Magnæ Britanniæ Rex Imperatores, Reges, Principes & Ordines ſupremos, non minus Catholicos, quàm Euangelicos, monuerit, in ſua hàc contra vniuerſi Orbis Raptorem controuerſia communem illorum omnium cauſam agi, quoniam ſub prætextu Religionis & Sanctitatis perfidus ille Regionem, omniumque Regna, Principatus & dominia petit. Quid itaque Euangelicis omnibus ſupereſt aliud, cum à Pontifice & veſtris, Becane, inter *Reges, Principes & populos Chriſtianos* non niſi æquiuocè habeantur, aut funditus extirpentur: quàm vt in vnanimi & forti ſui ſuorumque omnium conſeruatione, communem ipſorum cauſam veriſſimè veri, vniuocè conſtituant? Hæc paucula, Becane, tam ad perfida Pontificum veſtrorum conſilia, & æquiuocationum inuolucra propalanda, quàm ad immenſam illarum ambitionem & auaritiam tantò magis detegendam, velut per digreſſionē, quintæ tuæ quæſtionis Reſpōſioni ſubiicere pro Batauo viſum fuit. Tuum interim erit, Becane, diſpicere, an com-

munem Pontificis coniuratorumque ſuorum cauſam melius, quàm refrenandorum patrum Concilii Tridentini, hîc agere potueris. Quod autem in ſexta Quæſtione tua, Becane, Batauum falſitatis in allegatione Abbatis Vrſpergenſis accuſas, vitiligium eſt,& in te retorqueri poteſt, qui vni, quàm plurib. teſtibus, plus fidei haberi velis. Quærit itaq; ex te Batauus, an Brunoni & triginta Italiæ & Germaniæ Epiſcopis, ea, quæ de Hildebrando (aliàs Gregorio VII) apud eundem Abbatem leguntur, referentib. credendum ſit, an potius vni Anshelmo, cuius tamen Hiſtoriam non probat, licèt ipſum laudet? Et tu, Becane, Acta Cōcilii Moguntini, [a] cuius almæ vrbis vberib. lactaris, arrodere potius quàm tueri cupis, dum eorum fidem, vt impium illum Pontificē vindices, in dubiū vocas? O ingratum ventrem!

[a] Becani in Moguntiam ingratitudo.

Nugas iterum fallaciis cumulas, Becane, cum in Canone, *Nos excommunicamus, &c.* negas expreſſe [b] Hęreticos excommunicari, eaq; arte effugere conaris; tanquā, ſi hoc verū eſſet, credēdum foret, vos non docere, fidē Hæreticis violandam eſſe. Sed audi, quæſo, An nō omnes, *qui Pontif. Romano & Eccleſiæ non obediunt, Hæreticos* [c] *eſſe dicatis*, licèt de cætero ſint Pōtificii? & *propter talē Rebellionē & Reges, & Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & Duces, & Comites, & Marchiones, & ſimiles, velut illum*

[b] Qui excommunicentur.

[c] Hæretici qui.

lius Legatis obſiſtẽtes, à Gregorio illo, iure excõmunicatos eſſe fatearis? Sed dum Batauum falſitatis falsò inſimulare tẽtas, te primum cõtradictioni inexplicabili inuoluis, ac deinde temetipſum, omnesq; tuos Pontifices, Regni & læſæ Maieſtatis in omnes Reges & Principes tam Romano-Catholicos, quã alios, reos eſſe manifeſte fateris, cũ propter id à Pontificib. eos excommunicari poſſe dicis, quod niſi facerẽt, in ſalutẽ publicã, & ſuã propriã Maieſtatẽ peccarent quàm grauiſſimè. Quid .n. Regnis & Principatib. peſtilentius euenire poteſt, quàm Impii Pontificis *R*aptoris Orbis vniuerſi Legatis, eorundemq; auaris, turbulentis, & funeſtis conſiliis non obſiſtere?

Sed det tamen Batauus tibi, Becane, inibi de Excommunicatis tantùm agi, & eos, qui tum excommunicabãtur, cætera fuiſſe Catholicos. Dic quæſo, an Excommunicatio non ſit nomen generis, & non notorios Euangelicos (hoc ſolo, quòd Hæretici à vobis habentur) magis, quàm Catholico-*Ro*manos Pontifici in aliquo obſiſtentes, complectatur? Audesne tu, Becane, concedere & dicere, quòd doceatis, fidem Hæretico Principi, hoc ſolo quòd Hæreticus notorius eſt, à ſubditis Pontificiis datam, ſeruandam eſſe, cum ne Pontificiis quidem Regibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, &c. fidem illos ſeruare velitis? Sed *generatim*, inquis, *Canon*

Fides an Hæreticis ſeruanda, ſi ne quidem Pontificis inobedientibus ſeruetur.

Contradicit Becano Molanus, vt infra in Epilogo videre eſt.

non definit, non eſſe eis fidem ſeruandam in publicis & priuatis contractibus, ad quos, dicis, *tuam quaſtionem referendam eſſe: ſed ſolum non eſſe praſtandam illis obedientiam à ſubditis.* Pudet Batauum miſeri & inſenſati Beiani, Fidem ſubditos Regi & Principi ſuo Pontificio iuraſſe fateris, id eſt, obedientiam, & dicis illos eidem ad libitum Pontificis excõmunicato, licèt cætera Catholico-Romano, obedientiã præſtare non debere, nec tamen à Gregorio VII. definitum eſſe, quòd fides Hæreticis ſeruanda nõ ſit. Si ex pacto & iuramẽto obedire Principi, eſt fidem ſeruare: contra pactum & iuramentum Principi non obedire, eſt fidem frangere & non ſeruare. Si Principi excommunicato, ſed cætera Catholico-Romano, fides à ſubditis ſeruanda non ſit, vti iam probatum eſt Gregorium decreuiſſe, dic quæſo, an Hæretico vel notorio, vel excommunicato? cum notorietas & ſententia (quæ eſt rei non ita notæ per iudicem declaratio) in multis parem habeant effectum? Et ſi (vt vos ſtatuitis) ſummo Principi tali caſu fides in vniuerſum non ſit ſeruanda, vos priuatis vel excommunicatis vel Hæreticis fidem ſeruari velle, aliquis verè dicere poſſit? Sed audi, Becane, non Batauum, ſed Vincentium veſtrum, qui in ſpec. Hiſtor. libr. 15. Cap. 84. idem de illa Pontificia perfidiæ doctrina cũ Batauo

ſentit

ſētic,& Gregorium & Turbanum tuū,perfidæ huius doctrinæ cauſa, Hæreſeos accuſat. *Vt pace, inquit, omnium bonorum dixerim, hæc ſola nouitas (ne dicam Hæreſis) necdum emerſerat è mundo: vt Sacerdotes eius, qui dicit Regi, Apoſtata, & qui facit regnare Hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quòd malis Regibus nullam debeant ſubiectionem, & licèt ei Sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur, qui contra Regem ſenſerint, imò qui Regi paruerit, pro Excommunicato habeatur: qui contra Regem fecerit, à noxa iniuſtitiæ, periurii abſoluatur.* Vides, Becane, vos, hoc præclaro Epiſcopo iudice, Hæreſeos, Rebellionis & periurii accuſari: dum decretis Pontificum illorum turbulētorum inſiſtentes, Regibus & Principib. excommunicatis fidem ſeruandam non eſſe docetis? Quid ad hæc, Becane? nugas haud dubiè; plenus enim nugarum es, quæ hac atque illac ex rimoſo tuo profluunt cerebro. Nam quod dicis, Gregorium *generatim non definire, non eſſe eis fidem ſeruandam in publicis & priuatis contractibus*, te verum Beianum oſtendis. An non Excommunicatione ſua Reges & Principes publicos Eccleſiæ & Reip. hoſtes declarat, & conſequenter illis omnia publicorum & priuatorum contractuum iura tollit? Quid tam altè inſanis, Becane? ſed Gre-

gorius ille, inquis, tantum ſtatuit, *excommunicatis non eſſe præſtandam obedientiam à ſubditis.* At cum vos doceatis, ſubditos cæcâ obedientiâ ſuperioribus parêre debere, cur hîc docetis, iiſdem illos rebellare debere? *Quia*, inquis, *Gregorius priuauerat eos vſu ſuæ iuriſdictionis*, præſupponens tanquam confeſſum vel conceſſum, quod probare neque diuino, neque humano iure potes: Nimirum: *Gregorium Septimum*, Pſeudo-epiſcopum Romanum, *poſſe Reges & Principes vſu iuriſdictionis ſuæ priuare*: ſicuti Reges & Principes delegatam à ſe poteſtatem, ob culpam vel crimina mandatariorum ſuorum, reuocare ab ipſis poſſunt: ita ex falſo præſuppoſito longè falſiorem argumentationem producens; quæ talis eſt; *Quicunque legitimè priuatur iuriſdictione ſua, vel vſu iuriſdictionis, ei nulla debetur obedientia à ſubditis: Sed qui propter ſcelera & flagitia excommunicantur, poßunt legitimè priuari ſua iuriſdictione, vel ſaltem vſu iuriſdictionis: Ergo tunc nulla eis debetur à ſubditis obedientia.* Aſſumptio tua, Becane, non eſt generaliter vera: immo falſiſſimum eſt, quod Eccleſiaſticus vllus Regem aut Principem vllum excommunicando legitimè, iuriſdictione ſua, aut ſaltem vſu iuriſdictionis priuare poſſit. Qui enim dandi poteſtatem non habet, quonam is iure auferre poteſt id, quod non dedit? At, inquies, Becane,

Ergo non eo ipſo priuantur. Vide Examen Blaccavvelli, n. 74. in fi.

Pon-

Pontifex ligandi & ſoluendi poteſtatem à Chri-ſto accepit, ſed dato, & non conceſſo, quod Pontifex, vt cæteri Eccleſiaſtici, *ligandi & ſoluendi poteſtatem* habeat, indéne probabitur, eundem poſſe Reges conſtituere & deponere, ſubditos eiſdem obſtringere, & à promiſſione aut Sacramento illis præſtitò ſoluere? Ligare peccatores obſtinatos pœnis æternis, iiſdemque verè pœnitentes ſoluere, & eos in Chriſto ſaluos factos declarare: hoccine tu, Becane, à Sacramento fidelitatis Principi præſtito ſoluere appellaueris, & Theologus fueris? Apage cum deliriis tuis. Sed libenter, vt videtur, & hîc & aliquot aliis locis in tuis Miſcellaneis, Becane, comparatione Illuſtrium Ordinum Fœderatorum Belgii & Pſeudoepiſcopi Romani, te ex vinculis Argumenti ſuperioris extricares. At quæ, Becane, ſimilitudo, non dicam inter Imperatorem, Regem vel Principem, ſed tantum inter liberum tot prouinciarum populum & Senatum, & vnius ciuitatis aut Eccleſiæ miniſtrum? (ſi modò miniſter dici iure poſſit, qui non pietate Apoſtolica ad Epiſcopatum Gregis Dominici in vrbe, ſed impietate Apoſtaticâ ad vniuerſam in orbe tyrannidem vi doloque contendit) aut, quod ſummum vobis concedi poteſt, Epiſcopum, inſtitui poteſt? Imperatores, Reges, Principes, & Magiſtratus legitimi, qui voluntate & gratia Dei ad Im-

perii gubernaculum ſedent, ſecundũ Imperii ſui Leges ſubditos & præfectos, Legatos & Procõſules, & magiſtratus ſubalternos vel miniſtros ſuos, fidelitatis ſacramento & obſtringere, & ſoluere citra vllum vſurpationis aut perfidiæ crimẽ poſſunt: Hoc enim ius illis, velut *ſuperioribus poteſtatibus*, à Deo tributum, naturæ conuenientiſſimum eſt; cum vnumquodq; eo modo, quo colligatum eſt, diſſolui poſſit. Itaq; ſi vel Prouinciarum ſuarum Præfectos Præſidesq;, vel vrbiũ Magiſtratus municipales, prætores, aliosve in dignitate à ſe poſitos, quia in munus ſibi commiſsũ deliquerunt, deponant: non hîc populum ſuũ obedientiæ & fidelitatis ſibi debitæ vinculo ſoluunt, multò minus perfidiam vel Rebellionem docent: ſed ipſos delinquẽtes muniis à ſe cõmiſſis in pœnã priuant: hoc enim ad iuriſdictionẽ Regis, Principis & cuiusuis ſuperioris pertinet. Epiſcopis vero vel vllis Eccleſiaſticis tale ius minimè competit etiamſi peccatoribus obſtinatis condẽnationem & excõmunicationẽ, vel ẽt pœnitentibus gratiã annunciare poſſint. Vt Argumentum tuum à comparatis ſtabilias, probandũ eſt tibi, *Talem Epiſcopis poteſtatem in Reges & Principes à Deo datã eſſe, qualẽ Regibus & Principibus in ſubditos Deus dedit*. Etſi .n. Deus filio ſuo poteſtatem, dum in hoc mundo eſſet, in cælo & in terra dedit, voluit tamen ipsũ non

ſolu

ſolum ab Imperio terreno abſtinere, ſed etiã ſemetipſum eidem ſubiicere: quia ipſius Imperium erat *ſpirituale, non autem temporale*: Ergò nec Epiſcopi, licèt eius vicarii eſſent, *temporale* habent. Quid itaque habuerint Pſeudoepiſcopi, cum neque imperium neque ſecularem poteſtatem iure habere aut tenere poſſint? vnde etiam firmiſſimè conſequitur, ipſos neutrum dare vel adimere poſſe. Quo ergò iure, Becane, ipſorum miniſtrorum & ſeruorum Eccleſiæ poteſtatem, cum Regũ, Principum & Magiſtratuum Imperio & poteſtate diuina & ciuili cõferre audes? Vides, quomodo iterum & hoc loco cum falſitate tuam inſaniam prodas, cum veritatem falſæ præſuppoſitionis tuæ, diſſimilima cõparando, velut argumento à comparatis ſumpto, probare fruſtra nitaris. Ordines ſuo, quod Dei gratia obtinent, iure Prætores & iudices conſtituunt & deſtituunt, non Reges & Principes vicinos vel peregrinos Regnis vel Principatibus pro libitu priuant: vt facit ille Romanus raptor vniuerſi. Suis ſe finibus & legum terminis Belgæ continent, eos ipſi aduerſus quosuis tuentur Hiſpanica & Romana conſilia pro virili à Patria arcent: Ille iuris diuini & humani vincula diſſoluit, & terminos alienos mouet, cui vos, vt lenones & proditores, patria iura proſtituitis.

Obiectionis calumnioſæ refutatio.

Sed quòd Batauum & in hac quæſtio[ne] ſexta, & in calumnioſis Aphoriſmis tuis i[n]ſimulas, quaſi & ipſe & Euangelici cæte[ri] docerēt, Regem Hiſpaniæ, eò quòd Hære[ticus] ticus ſit, & ad Monarchiam Orbis vniuer[ſi] rapiendam tendat, ſuo Regno priuandu[m] eſſe: Ad has tuas nugas & calumnias ipſe tib[i] luculenter & perſpicuè in examine ſextæ tu[æ] Propoſitionis, libello pro Defenſione Ter[tia] tia Fœderatorum reſpondit. Impudentiſſi[mi] mi certè præuaricatoris eſt, ſuis propriis cri[minibus] minibus Aduerſarium onerare. Batauus o[ſtendit] ſtendit, quod Pontificii, & inprimis Ieſuitæ docent, Reges & Principes ab ipſis iniur[ia] Hæreſeos accuſatos & damnatos Regnis & Principatibus exuendos eſſe: hoc autem ill[e] non probat, etſi ex ea veſtra propoſitione ſe[cuturum] cuturum eſſe dixerit, Euangelicis iuxta æ[quitatem] quitatem naturalem, ſi, quod quisq; iuris i[n] alium ſtatuit, eodem ipſe vti debeat, in Pon[tificios] tificios idem ius ſtatuere licere.

Tu autem calumniator Antichriſtian[e] vt falſitatem tuam velut aranearum tela te[gas], gas, Batauum ſimpliciter & abſolute dicer[e] ais, Reges Pontificios, velut Hæreticos ſui[s] Regnis priuandos eſſe, & conſequenter ſubditos ab obedientia & fidelitate illis præſtā-da eximi oportere. Si frontis aliquid, Becane, tibi eſſet, te tuimet, ipſius puderet: Sed *erubeſcere*, vt inquit propheta, *neſciuerūt*: frō[s] vobis eſt perfricta, ſicut etiam ab Antichri-

ſto

ſto in fronte notati eſtis. At inquies, ſi hoc non docet Batauus, id tamen Batauí factis ipſis oſtendunt? Batauí nunquam contra Regem Hiſpaniæ aut Principem ſuum velut talem, vt Principatibus Belgicis ipſum priuarét, bellum mouerunt: eo enim illis opus non erat, cum ipſe ſe à iuramento (quod Belgis in inauguratione præſtitit) per diſpéſationem Pontificis abſolui fecerit, & introductione Legis peregrinæ, Inquiſitionis ſc. Romano-Hiſpanicæ, quâ antiquas Imperii Belgici Leges fundamentales euertit, ſummum Principatuū illorum Imperium, citra, imò contra Illuſtrium Ordinum voluntaté, in Pontificis Romani hominis peregrini, & Belgicæ libertati hoſtis implacabilis, poteſtatem & ſeruitutem tranſtulerit: Sic vt nec ipſe amplius illorum Principatuum Dominus eſſet: (Princeps [a] enim non eſt, alio imperante:) nec ipſe Pontifex eorum dominium iniuſta alienatione acquiſiuerit: Sed ipſi Belgæ, à priore Domino derelicti, imo per Eundem vel ad vſurpatoris noui tyrannidem abducendi, vel funditus delendi ſemetipſos contra Pontificis Delegatum eiuſdemque miniſtros in priſtinam libertatem virili fortitudine & conſtantia vindicarint. Vnde ipſe vides, Becane, eos aduerſus Pontificiorum mandatorum executorem, non autem aduerſus Principé ſuum vel Regem Hiſpaniæ, ſecundum má-

[a] Tacit. 1. Hiſt. n. 37.

data Dei,& fidem Ieſu (: quæ prohibent ſub
c Apoc. 14. v. 9. 10. 11. & 12. graui pœna, ne quis *adoret* c *Beſtiam & imaginem eius, vel accipiat characterem in fronte ſua, vel in manu ſua*:) patriam patriaque iura, & ſe vitasq; ſuas & ſuorum defendiſſe: Hęc vides, Becane, non eſſe mendacia, ſed vera. Verũ enimverò, ſi Batauus Regum, Principum & Populorum omnium atq; adeò Põtificum & Pontificiorum arma, contra Philippum II. Hiſpaniarum Regem defunctũ, velut vniuerſi Orbis raptorem, excitare cõſtituiſſet: an abs te, vel quouis alio iure accuſari poſſet? quum quidam Regum & Principum Catholicorum miniſtri etiam nunc tam Euangelicos, quam Pontificios, ob illam eandem, velut communem, cauſam, cõtra præſentem Hiſpaniæ Regem (: licèt filium Pontificis Primogenitum:) non minoribus conatibus, quàm antè, concitare nitantur? Redi itaque, impoſtor, cum reliquis illis tuis improbis calumniis, & euanidis nugis & fraudibus in abyſſum, vnde non ita pridem cum iis exiliſti.

Ad VII. tuam Quæſtionem: An Pontifices & Pontificii tradant, Hæreticis fidem ſeruandam non eſſe: *Reſponſio: Vbi artes perfidiæ Romanæ paulò lucidius, quàm ante deteguntur:*

In

IN ſeptima tua hac Quæſtione non te, Becane, meliorem pro Decretis Pontificum, quàm pro Conciliis, Athletam præſtas, cum ita arguis: *Decretis Pontificum non ſtatuitur, fidem Hæreticis ſeruandam non eſſe, ſed tantum quod Catholicis*, quos vocas, *quia Pontificibus reſiſtunt, excommunicatis fides à ſubditis ſeruanda non ſit*: tanquam ſi eo non traderetur, Fidem Hæreticis ſeruandam non eſſe, cum ſuprà abundè oſtenſum ſit, vos docere, quod *nullus contemptor Sedis Rom. non ſit Hæreticus. Initiũ* .n. *omnium Hæreſiũ* eſſe ſcribitis *Pontificis Romani contemptum*. Sed ſi illis, qui cætera Romano-Catholici ſunt per Põtificum decreta fides à ſubditis ob id ſeruari nõ debet, quia in aliquo reſtiterunt Pontifici, eò ne, Becane, probare potes, Hæreticis, qui totam Pontificis Tyrannidem eiurarunt, fidem à ſubditis ſeruandã eſſe? Stolidiſſima tua Pontificis cũ illuſtribus & præpotentibus fœderatarum & liberarum Prouinciarum Belgii ordinibus comparatio (quam hîc iterum reponis) riſu digniſſima eſt, Antichriſti ſcilicet cum Chriſtianis, vſurpatoris tyrannidis vniuerſalis in Reges & populos, cũ Regũ, Principum & populorum propugnatoribus, legumq; diuinarum & humanarũ contra peregrinam tyrannidem defenſoribus; Tyrãni, inquam, Catholici omnium Regum, Principum & ordinum liberorum hoſtis, cum illis, qui libertatis publicę defenſionẽ, contra renouatam Rom. ſeruitutem, tam fortiter aggreſſi ſunt? abi latitatum poſt columnas.

In Regum, Principum & Ordinum liberorum poteſtate eſt, in ſuis Regnis & Prouinciis vti dictum eſt, perfidos & periuros belli Duces & milites non deponere tantum, ſed vt ſupremi Magiſtratus, promeritis pœnis afficere. At quod ius Antichriſto Romano in alienis Imperiis, Regnis & Principatibus? Proba tu, Becane, Apoſtolorum vlli poteſtatem datam ſubditos à Fide & iuramento Regibus & Magiſtratibus prę̨ſtito liberandi. Bataui, Becane, non negant, fidem Hæreticis ſeruandam eſſe (vt tu falsò illis affingis) ſed vos & Pontifices veſtri: etiamſi id nūquam in Scriptura te legiſſe ſcribas. Sic hoc non tantum loco, ſed & multis aliis oſtenditis, te tuoſq; nihil minus, quam Scripturarum authoritatem curare. Reſpóde quæſo ad quæſtionem, De Fide Hæreticis ſeruanda, ſuperius tibi propoſitam; & doce primum, Euangelicis, quos vos Hæreticos vocatis, fidem de ipſis non vexandis aut puniendis à quocunque Pontificio, Magiſtratu datam, iisdem ita ſeruandam eſſe, vt propter conſtantem Euangelii profeſſionem, quam vos Hæreſin vocatis, per Pontificios vexari aut puniri nullo modo poſſint vel debeant. Nam ſi dicas, fidem ita dari non poſſe, fallitis, dum datis, & ſcribitis ſeruandam, cum tamen non ſeruetis, ſub hoc velo, ac ſi non dediſſetis. Si ſeruatis, falſa eſt veſtra exceptio, quâ dicitis, *quòd in illicitis & inhoneſtis*

fide

fides [a] *ſeruanda non ſit*; cum, vobis iudicibus, *illicitum & inhoneſtum ſit*, Euangelicos *tanquam Hæreticos non punire*; bonum malum & malum bonum appellantes. [b] *Sed Impii os loquitur vanum, & eorum dextera, dextera falſitatis eſt*, inquit Propheta. Et hîc eſt ille [c] character, Becane, qui lenonibus & Mercatoribus magnæ Meretricis *in manu dextera aut in fronte* imprimitur, de quo B. Iohannes in Apocalypſi cap.13. v.16. agit. Sicut & B. Paulus ait: [d] *Veniet cum omni Fraude iniuſtitiæ, cum iis qui pereunt.* Veſtrum enim eſt falſitate & calumniis *ſeducere incolas terræ.* Artes ſeducendi ſunt, ſpecie recti falſa pro veris obtrudere: datâ dexterâ paces & fœdera icere, ſed fidem non ſeruare: & quod omnium peſſimum eſt, ſcelera veſtra impudenti malitia innocuis tribuere, quod eſt calumniari. Character itaque, quem Antichriſtus, Filius Principis huius ſeculi, vobis in manu veſtra dextra dat, eſt falſitas, quam ſuprà *Pſalmiſta Dexteram falſitatis* nominauit: Et quem frõtibus veſtris perfrictis imprimit, eſt litera *K.* qua calumniatorum frontes inſigniri ſolent. Veſtrum eſt decipere per [e] *Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum principia mundi, non ſecundum Chriſtum*: Vnde meritiſſimo iure vos Antichriſtiani per has notas dignoſcimini. Quo modo etiam tu Becane calumniandi habitum ſeu propenſionem veſtram oſten-

a Dextera falſitatis.

b Pſalm. 144. v. 8. 2. Theſſal. 2. v. 10.

c Character Beſtiæ, qui in dextera vel in fronte imprimitur.

d 2. Theſ. 2. verſ. 10.

e Paul. ad Coloſſ. 2. 8.

dis, cum Batauo affingis, tanquam ſi ipſe, Hæreticis non eſſe ſeruandam fidem, aut Imperatores hoc ſtatuere, doceret; Neutrũ ille; ſed illud axioma tantum à Conciliis & Decretis *Pon*tificum, traditionibus hominum, impiaq; perfidorum Ieſuitarum ſchola originẽ ſumpſiſſe oſtendit; vti etiam nunc vobis probauit, inter cæteras Antichriſtianorum notas hanc non poſtremam eſſe. Erat enim Pater Antichriſti *ab initio calumniator*: ab illo mundi Principe vos calumniandi artem hauſiſtis, non à Chriſto, ex cuius *ore non exiuit mendacium*. Nihilominus nugari pergis, & dicis, quod etiamſi Gregorius Pōtifex *pronunciet abſolutos à debito fidelitatis, qui aliquo pacto obſtricti ſunt manifeſtis Hæreticis, non tamen vi illius decreti reipsà Hæretici priuentur vſu ſuæ iurisdictionis, ſed ſolum poſt latam ſententiam*; cum tamen expreſsè Pontifex ibi ſtatuat, Hæreticis manifeſtis fidem ſeruandam non eſſe, ſed ſubditos à debito fidelitatis eſſe abſolutos, &, vt addit Gloſſa, *ipſo iure, nimirum ex quo manifeſtè lapſi ſunt, etiamſi iuramento obſtricti erant.* Vis ni fallor, Becane; Batauum huc iterum tranſcribere varia veſtrorum teſtimonia; eſto. Scatent enim libri veſtri illiuſmodi falſis præceptis. Simancha; [f] *Hæretici omnes ipſo iure ſunt excommunicati, & à communione fidelium diris proſcriptionibus ſeparati, & quotannis in Cœna Domini excommunicantur à Papa.* Et Auctor de

f De ex com. tit. 27. ſect. 1. folio 110. b.

de iuſta g Henrici 3. Abdic. *Bulla de Cœna Domini inania profectò vt plurimum fulmina eſſent, niſi & facti iudicii vim haberent, & adferrent neceſſitatem expectandi nouum iudicium, antequam quid agatur.* Vnde Papa Gelaſius, in cap. Achatius, Cauſ. 24. q. 1. ait, Quia *Achatius non noui erroris inuentor, ſed veteris imitator ſit ob id non neceſſarium eſſe, nouam aduerſus eum ſententiam prodire.* Concludet hæc Batauus ſentẽtiâ Creswelli veſtri, h quia manifeſtiſſima eſt, *Quemcunque*, inquit, *Principem Chriſtianum, ſi a Religione Catholicâ manifeſtò deflexerit, & alios auocare voluerit, excidere ſtatim omni poteſtate ac dignitate, ex ipſa vi iuris tum humani tum diuini, hocque ante dictam ſententiam ſupremi Paſtoris ac Iudicis contra ipſum prolatam, & ſubditos quoſcunque liberos eſſe ab omni iuramenti obligatione, quod de obedientiâ, tanquam Principi legitimo, præſtitiſſent* (Ergo Hæreticis, eo ipſo quod Hæretici ſunt, fidem ſeruandam eſſe negatis, aut Batauus non intelligit fallacias veſtras) *poſſeque & debere, ſi vires habeant, iſtiuſmodi hominem tanquam Apoſtatam, ac Chriſti Domini deſertorem, & Reipub. ſuæ inimicum hoſtemque, ex hominum Chriſtianorum Dominatu eiicere, ne alios inficiat, vel ſuo exemplo aut imperio à fide auertat, atq; hæc certa, definita, & indubitata virorum doctiſſimorum ſententia.* I nunc, Becane, & ſophiſmatis veſtris negare & nugari perge, Pontificios & Ieſuitas ve-

g Lib. 4. c. 3. in fi.

h in libro, cui Philopater titulum fecit; ſ. 2. p. 109.

ſtros non docere, Hæreticis fidem ſeruandā non eſſe. Facilè enim Euangelicis (quos tu Hæreticos vocas) vel hinc tantum videre licet, vos nihil aliud æquiuocationib. & Amphibologiis veſtris moliri, quam vt fraudibus & impoſturis veſtris circumuenti, iiſque fidem habentes, in malorum Iliadem præcipitentur.

Tolerantia libertatis religionis aliaque beneficia, quare Euangelicis aliquādo à pontificiis indulgeantur.

At inquis, Becane, vides quosdam ex Euangelicis veſtris, non tantum non puniri, ſed ad munia publica promoueri, atq; ita fidem illis datam ipſo facto ſeruari? Exempla interim, quibus proditorias veſtras æquiuocationes & Amphibologias tegere conamini, aſtus & technas veſtras magis aperiunt, quā operiunt. Quæris enim ex Batauo, ex lege, *Nullus, de ſummâ Trinitate* (vbi dicitur, quod *nullis Hæreticis miniſteriorum locus ſit*) & ex lege *Quicunque*. Cod. de Hæreticis (vbi dicitur, *quòd vltimo etiam ſupplicio coerceantur, qui illicita docere tentauerint*) *an indè liceat inferre, Imperatores decernere, Hæreticis ex eo præciſe, quia Hæretici ſunt, nec locum miniſteriorum, nec vitam concedi poſſe?* Reſpondet Batauus, eam eſſe ſimplicem, apertam & veriſſimam illorum Imperatorum in iis legib. mentem, quam & veſtri multis ſcriptis factiſque ſecuti ſunt, atq; ita etiam in Hiſpania, Italia, multiſque aliis locis etiam hodiè obſeruatur, licèt in cauſę cognitione & iudiciis cōtra Principia Theologica & iuridica à vobis grauiſſimè

ſime peccetur, eoſque vt hæreticos condemnetis, quos illi vera ac legitima præhabita cauſę cognitione orthodoxos & Chriſtianos eſſe iudicabant. Quod autem, Becane, quibuſdam in locis contrarium apud quoſdam, in vſu eſſe videmus, aſtus Aucupis Romani eſt. Pontifex enim, cui nullæ perfidiæ vel aucupii artes inexploratæ, intendere & remittere retia nouit, voſque illi aliiſque ſuccenturiatas operas, in eo decipiendi genere indeſinẽter fideliſſimi & vigilantiſſimi, præſtatis, alios honoris vmbrâ & ſuamet vanitate [a] in mortis retia, dulcè canendo, allicientes, imò & irretitos beneficiis veſtris ita incantantes, vt & ſocios, fratres, patres, filios proprios, [b] in decipulas veſtras appellent, quo plures incautiores retibus veſtris inuolutos, tandem ſimul internecione delere valeatis (quod in laniena Pariſienſi multiſque aliis factum feciſſe non ignoratis) alios honoris ſpecie à Conſiliis Reipub. amolientes, ne conſilia ſanguinaria veſtra ab illis agnita, [c] antequam peracta ſint, detegantur. Sic etiam vos Euangelicis (quos aliàs perpetuo atque implacabili odio perſequimini) amicitiâ arctâ (quaſi accommodatiore ad fallendum [d]) vel fœdere vel auxiliis voſmet velut neutrales & medios coniungere ſimulatis; non quòd vel pace vel auxiliis illorum conſeruationem, multò minus amplificationem quæratis:

a Hoc modo Atticus conſul obtruncatus fuit. Tacitus Hiſt. III.

b Auiculæ appellantes vocantur, quæ ventris cauſa, vt domini inſeruiant voluptati, ſocias ſuas in mortis periculũ cantu ſuo pelliciunt.

c Hac arte Tiberius Germanicum amolitur. Et Carolus IX. Galliarum Rex conneſtabilem ſuum in Angliam ablegat, dum cuncta ad lanienam adornãtur.

d Tac. An. II

ſed vt illis ſecuritas & fiducia reſpectu ve-
ſtri parentur, vosq; hac arte in ipſorum con-
ſilia penetretis, vt ſupradictum eſt, vel ea in
ipſorum interitum conuertatis, vel ſugge-
ſtis perfidis conſiliis aut aliâ quadã arte im-
prouidos, citra vllum veſtri periculum, op-
primatis, quo incepta aſtu facinora maiori
ſcelere patrare poſſitis. Sicuti huius veſtræ
fidei Euangelicis datæ & ſeruatæ, nõ ita pri-
dem Chriſtianiſſimo Magnæ Britanniæ Re-
gi, totiq; ſereniſſimæ Regiæ familiæ, & Illu-
ſtriſſimis Ordinibus, ſub prætextu *ſyncere
& centũ annorũ amicitiæ*, ſulphureis cunicu-
ſub Parlamento ſtructis, exemplum notiſ-
mum edidiſtis. Mauultis. n. *Pacem* [b] *ſapien-*
i. *ſcelere firmare, quàm bellum per acies*, vbi ma-
ximè de veſtrâ cute ageretur, *conficere*; v
pag. 62. in libello pro Defenſione III. vo
luculenter oſtenſum eſt. Plura parricidia
veſtræ perfidiæ exempla proferrem pro
tauo, niſi illa pueris per compita nota ſe
Norunt Batauí cæteriq; Euangelici, &
pſa, proh dolor, nimium experti ſunt te
Pontificiorum quorundam perfidiam,
untq; Põtificem *placitas ſemel* [c] *artes non*
tare, eumq; *cætera* Euangelicis *inuiſiſſim*
animum ad pacis conſilia applicaſſe, per inge
promiſſa etiam dona [d] *incautos ambiguosq;*
pellicere: ſed ne fallatur, *ſpecie amicitiæ, f*
rum, auxilii, honoris, & Legationis ita
cundatos tenere, ne, antequam vinca

[a] Hæc ſunt verba Rouidæ in Oratione, quam legatorũ Regis Hiſpan. nomine apud deputatos Regis M. Britanniæ habuit.

[b] Tiberii dictũ apud Tacit. Ann. II. num. 64.

[c] Sapiens ſemper eâdem incedit viâ, ſed nõ eodem; Temperamento (vbi æſtus eſt maior) aſtu que opus eſt.

[d] Tacitus.

vinciantur ve, vllo modo effugere poſſint. Sciunt Euangelici, vos amicitiarum proditores & corruptores, exquiſitiſſimosq; æquiuocationis magiſtros eſſe. Sed habeant ſibi hoc Ieſuitæ, ſi *ipſi Euangelicis vt victis ſeruitium* æquiuocando *indicere putent*, *eſſe illis ferrum, & promptum pietati & libertati aut ad mortem animum.* Ex ſuperioribus vides, Becane, etiamſi fides Euangelicis quaſi Hæreticis data, propter impedimenta & ad euitãda maiora incommoda, non ilicò vel omni tempore à Pontificiis violetur, firmiſſimam tamẽ Pontificum decretis conſtitutum eſſe, fidẽ Euangelicis datam non aliter ſeruandam eſſe, quam ad ipſos melius illaqueandos, & facilius extirpandos Non enim verum eſt, quod tu ſtupendâ futilitate, ad argumẽtum Batavi euertendum, effingis, *Sixtum V. Henricum Regem Nauarræum & Principem Condæum ſolos & nominatim ea pœna affeciſſe:* quaſi his ſolis, vt hæreticis, fides ſeruanda non eſſet: Cum *tortuoſus* veſter Bellarminus in Reſponſione ad Apologiam pro Iuramento Fidelitatis, generale eſſe Pontificũ dogma his verbis demonſtret; *Iam ſuprà*, inquit, *docuimus, ſupremum vniuerſæ Eccleſiæ Rectorem id iuris habere, vt ſi Princeps ab Eccleſiæ vnitate per Hæreſin vel ſchiſma deficiat, poſſit eum excommunicare, vel excommunicatum declarare, ET SVBDI-*

Tortuoſus dicitur qui tortuoſis incedit itineribus.

TOS EIVS A FIDE ET OBE-DIENTIA LIBERARE. Neque hanc eſſe nouam doctrinam, ſed in Concilio [a] *LATERANENSI omnium maximo & celeberrimo approbatam, atque vſu Chriſtiani populi per multa ſecula receptam* [b]. *Qui enim*, inquit, *non timent occidere, nunquid timebunt iuriſiurandi religionem violare?* I nunc, Becane, & iterum impudentiſſimè nega, Regulam, de Fide Hæreticis non ſeruanda, neque Conciliis, neque Decretis Pontificum probari, neque apud vos in vſu eſſe. Nec tamen ex eo inferas, Batauum eos cum Bellarmino Chriſtianos appellare, qui iſtiuſmodi perfidiæ præcepta vel produnt ipſi, vel vſu probant. Miratur interim ipſe, ſe abs te Becane, mendaciorum Architecto, falſi accuſari, quod duos illos Principes propter Euangelii profeſſionem excommunicatos eſſe ſcripſerit, cum id omnes Euangelici, etiam ipſe Chriſtianiſſimus tunc Nauarræ, nunc etiam Galliæ Rex, & Princeps Condæus, Sereniſſima Angliæ Regina, Sereniſſimi Daniæ, Scotiæ & Norvvegiæ Reges, cæterique Orbis Chriſtiani Sereniſſimi, Illuſtriſſimique Electores, Principes & Ordines ita eſſe ſciuerint. Hos ne tu, Becane, mendacii inſimulare, vel Hæreticos, ſi coram eſſes, nominare auderes? Non puto; Illuderes illis haud dubiè aliquâ æquiuocationis aut Amphibologiæ dexteritate: hoc enim

a Nota Becane, qui hoc Batauū mentitum eſſe ſcripſiſti.

b Tortus in Reſponſ. ad Apol. pro Iuram. Fidelit. fol. 130. vide etiam fol. 72. 73. 16. & 18. Vbi Tortus dicit, quod *neque vlla iuſtior cauſa excommunicandi fingi poſſit, quàm Hæreſis, quæ fidei Catholicæ & omnis iuſtitiæ fundamentum tollat.*

enim apud vos non eſt mentiri, *Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* Imo hac æquiuocationum arte illudere omnium, qui à vobis pro hæreticis habentur, interrogationib. ſupremæ ſapientiæ atque dexteritatis eſſe dicitis. Ad Batauos, quod attinet, illi, vti dictum eſt, ſcapham ſcapham appellant: ſciunt, Henricum IV. potentiſſimum Galliarum & Nauarræ Regem nunc Catholicum eſſe, neque alium ſedem Romanam, vſq; ad extremum ſpiritum, deuotiorem ſibi dictoque audientiorem Regem aut quærere, aut ſperare poſſe; cuius rei vos, intimi pontificis & ſedis conſiliarii, diligentiſſimique arcanorum Imperii ſcrutatores, ipſi in Gallia, Italia, Germania & alibi ſcriptis veſtris luculentiſſimum teſtimonium perhibetis. Illumne Bataui vel verbo Hæreticum diceret, quem vos Pontificium factum [d] gloriamini? ſatis enim eſt, eundem à vobis, vt talem laudari. Sed quandoquidem, Becane, Euangelici Reges & Principes vos tum temporis, cum eundem Regem & Principem Condæum Hæreſeos accuſaretis, & impudenter calumniari, & ſplendidè mentiri, ſciebant: Quid eoſdem nunc moueat, vt vos vera dicere credant, cum ſimpliciter Catholicos appelletis eos, quos ante falſo Hæreticos nominabatis? Hîc ſi potes, Becane, reſponde, nec Batauum exemplo humano ad impium veſtrum con-

Henricus IV. Galliæ & Nauarræ Rex.

Vide Orationem Regis nomine coram Paulo V. Romæ habitam, 27. Nouembris, 1608. Legato duce Niuernenſi, impreſſam Romæ, apud Iacobum Maſcardum, f. 1.

d Bellarminus in Apolog. pro Reſponſ. Torti.

ſortium inuita. Conſuetudinem enim illam non habet, vt ſe Regum & Principum & accuſatorem & iudicem & Parricidam, atq; vbi eos ſicis veſtris in contrariam ſententiam adegiſtis, eorundem laudatorem cōſtituat, ſicuti etiam nec vos, nec veſtrum conſilium, velut animo & corpori pernicioſiſſimum, imitari ipſi animus eſt.

[a] Iesuitarum falſitas dum in diluendis criminibus ſuis Galliæ Regis authoritatem prætexere aiteentur.

[a] Quòd autem, hîc Becane, pro eluēdis ſuperioribus veſtris ſceleribus, veſtraq; in Deum pietate, & in ipſum Regem & Regnum Gallicum fide probandâ, ad Orationem illam (qua de Ieſuitis in Galliam reuocandis, agitur) velut ad indubitatum potentiſſimi Henrici IV. Galliæ & Nauarræ Regis teſtimonium recurritis, plurimum Batauum mouet; non enim vlli ſpernenda eſt Regum fides vel auctoritas, ipſi verò & ſuſpicienda. Sed liberè Batauus vobiſcum aget, Becane; & donec ipſi de fide illius orationis melius conſtet, poſſe Reges & Principes infamiæ reos, priſtinæ famæ & dignitati reſtituere, factum autē tollere neminem poſſe, omnes fateri debere dicit. Non poteſt mortalium vllus efficere, vt qui, ſecundum ſuum inſtitutum legitimis iudiciis, velut falſarii, proditores, plagiarii, Parricidæ, [b] & venefici iuſtè cōdemnati ſunt, aliquo reſcripto aut oratione deinceps tales amplius non ſint: tantoq; minus, quod poſt multa plagia, falſę proditiones, parricidia & venefi-

[b] Reſtitutio Ieſuitarū in Galliam non tollit reatū anteriorē, nec mutat eorum nocentiſſimū propoſitum.

veneficia ex communi instituto commiſſa, idē illud propoſitum illis maneat immutabile: Sicut id vos non mutâſſe, & ſcriptis & factis deinde demonſtraſtis. Quomodo .n. factum infectum fieri poteſt? Ex quo fit, vt ſint non pauci, nec vulgaris auctoritatis viri, qui credant, vos illam Orationem, quam ad veſtri excuſationem purgationemq; affertis, & maioris autoritatis cauſa Regiæ ſuæ Maieſtati adſcribitis, ad veſtram potius laudem, ipſiusq; & totius Senatus Gallici probrū efformaſſe & effinxiſſe, perque metum eidem veſtrorum Ianitzariorū ſicis expreſſiſſe, & publicari feciſſe, quàm quod illâ, liberâ Regis voce prolata ſit. Maximè cum Regia ſua Maieſtas ipſa per legatos ſuos apud ſedē Romanam teſtatò faſſa & conqueſta ſit, *ſe nullo temporis momento extra vitæ periculum conſtitutum fuiſſe, cum propter aſſiduos belli inſultus, tum propter frequentiſſimas ſicariorum inſidias* [c] *contra ſe: ſeq; hiſce terriculamentis adactum, vt coram Prælatis & Doctoribus Theologiæ in fide Romana ſe inſtrui pateretur, omneſq; ſubmiſſiones in tali caſu requiſitas facere vellet:* quò à veſtris venenis & ſicis liberaretur. Hæc ipſius Regis libera per Legatos ſuos apud Pontificem veſtrum profeſſio teſtatur abundè, frequētiſſimas ſicariorum inſidias Regem ad multa adegiſſe, nec alienum eſt, ſi & orationem illam pari metu illi expreſſeritis. Quod cum ita ſit, in tranſitu hîc notandum

c Vide Orationem Duperoni & Doſſa Legatoru Regis ad Pontifice Roman. pro obtinda abſolutione.

[d] Magnæ Britanniæ Rex contra Tortuoſi Bellarmini mendacia & calumnias impudentiſſimas vindicatus.

[e] Vide Tortum in Reſpon. ad Apolog. pro Iur. Fidelit. fol. 107. Edit. Color. primæ.

[f] Tortus in Reſp. ad Apolog. fol. 21. 22.

eſt, bonos quam plurimos Tortuoſi [d] Bellarmini & præuaricationem & falſiſſimam impudentiam mirari ſatis non poſſe, quod & primarius Ieſuita, & Cardinalis, cui orbis vniuerſi, ne dicam Conſiſtorii Ro. arcana notiſſima ſint, auſus nihilominus fuerit, cõtra manifeſtam veritatem dicere: *Magnæ* [e] *Britanniæ Regem non ſolum extra rem euagari,* qui tali metu Galliarum Regem per vos affectum fuiſſe ſcribit, *ſed etiam ſatis impudenter irridere ſacras Ceremonias, quæ in reconciliatione pœnitentium adhibentur*; cum Bellarminus ipſe *Regem Sereniſſimum moneat, ad conſpirationes eiuſmodi præcauendas, parum præſidii in iuramentis poſitum eſſe: quaſi qui veſtra parricidii doctrina excæcati non timent tam atrox parricidium perpetrare, neque timebunt iuriſiurandi Religionem contemnere*: additis etiam minis, *ſi Rex ſecurè regnare, & vitæ ſuæ ac ſuorum conſulere cupiat, ſinat Catholicos frui antiqua* [f] *poſſeſſione Religionis ſuæ.* Hæc cum ipſe Cardinalis ſcribat & fateatur, & nihilominus ea quæ tã ſolẽniter Romæ acta ſunt, impudentiſſimè contra ſcientiam negare, & veram Regis maximi & veraciſſimi ſententiam falſi accuſare audeat, an vllam vobis ſummis æquiuocatoribus & mendaciorum architectis vel affirmantib. vel negantib. fidem deinde haberi debere putetis, in iis, quæ contra ipſa veſtræ ſectæ principia, contraque omnia, quæ ſcriptis factiſque

ve-

veſtris indies probantur, ad mendacia veſtra obtegenda editis? cum ex teſtimoniorum ſuperiorum indubitatorum cum ipſis Orationis veſtræ punctis comparatione, eiuſdem falſitas per ſe ſatis appareat?

Non itaque abs re eſt, quod viri quidam magni ſuſpicentur, Orationem eam veſtræ perfidiæ partum eſſe ſuppoſititium: præſertim cum & alia nonnulla eidem Orationi inſerta eſſe reperiantur, vel ad optimũ Principem circumueniendum, vel quæ rationi, factorumque euidentiæ & ſtatutis veſtris ex diametro aduerſantur. Inter quæ inprimis illud occurrit, quod ab Ambitionis vitio vos puros eſſe, & dignitates atque ſacerdotia, quæcunque vobis offeruntur, reſpuere, & omnibus operam veſtram gratis præſtare, Regem referre notatis, quod iiſdem tantò incredibilius videtur, quòd Paupertatem veſtram opulentiſſimi reditus veſtri, magnificæ veſtræ domus, Mobilia, Bibliothecæ, & cultus veſter ordinarius Fleſſiaci, Monachii, Ingolſtadii, aliiſque in locis innumerabilibus ſatis luculenter teſtentur. Scitur in ſumma, vos gratis non ingratis officia veſtra mutuare. Dignitates verò & ſacerdotia quomodo reſpuatis, loquuntur Cardinalatus, quos ſpecie recuſantis quam flagrantiſſimè deſideratis, atque etiam permultos adepti eſtis. Quidni & Pontificatum, quẽ tam ſtrenuè propugnatis, veſtro rapaciſſimo Ordini

Notationes cauſſarum, quib. Henricum IV. Gall. & Nau. Regẽ adductum Ieſuitæ ſpargunt, vt in Regnum reſtituerẽtur. Ieſuitæ an ambitioſi & rapaces.

peculiarem redderis, cæteris omnibus ordinibus, quos iam vt Lupi rapaces deglubere cœpiſtis, in perpetuum ab eo excluſis? Hæc Patrum veſtrorum & abſtinentia & moderatio cum ſit Pontificiis iuxta ac Euangelicis nota: an non laudes in contrarium adductas, à vobis potius excogitatas, quàm à tanto Rege prolatas eſſe, credant? An non & quod à Sorbona recens teſtimonium ad veſtri commendationem vos obtinuiſſe inibi refertur, corruptelis & aliis technis veſtris emendicatum credet, qui ſolenne eiuſdem Collegii anterius Decretum totius vniuerſitatis autoritate comprobatum expendit? Neque enim vtique melius pronunciat, qui nouiſſimus ſententiam fert: cum nonnunquam benè latæ ſententiæ in peius reformetur. Æquè parum veritati conſentaneum videtur, quod de *Fidelitatis iuramento Regi præſtando* iſti Orationi inſeritur, cum cæcæ veſtræ obedientiæ votum non patiatur, vt vlli alii, quàm Pontifici & Generali veſtro, fidelitatis iuramentum præſtetis. Non quoque credendum eſſe dicunt, prudentiſſimum & æquiſſimum Principem, qui, cum Euangelicus eſſet, & Sixti V. fulminibus iniuſtiſſimè peteretur, illius Senatus fidem, doctrinam, prudentiam & magnanimitatem expertus, atque adeò per eundem in Regni ſucceſſione defenſus fuit, tam dura, vti vos iactatis, in eiuſdem contemptum dicere voluiſſe;

Sorbonæ de Ieſuitis iudicium.

Ieſuitę ſe fidelitatis iuramentum Regib. præſtare falsò gloriantur.

Parlamenti Pariſienſis authoritas aduerſus Ieſuitarũ inſimulationes defenditur.

ſe; & quidem in gratiam eorum, qui factionibus & Rebellionibus Regnum ſuum euertere, vel illud in Principem peregrinum transferre, ipſumq; inſuper parricidiali ſcelere interimere conati ſunt, ac denique, cum nihil aliud poſſent peius, ſummo primogenituræ honore Regiam ſuam Maieſtatem, vt dictum eſt, expoliarunt, eamq; turpi in Benefactorem ſuũ ingratitudine ad Regem Hiſpaniæ tranſtulerunt. Adhæc eâdem illâ oratione Regi adſcribitis, ipſum nulla in re leges [b] veſtras immutauiſſe. Quis mortaliũ, quæſo, qui ſtudio partium caret, Regem tantum ſuprà relata axiomata & præcepta, ſine iniuria & ipſius & aliorum Principum, probare voluiſſe, crediderit? Quid? an non, cum de vobis in Galliam reſtituendis ageretur, edicto publico & ſolenni, certis finibus & legibus reſtitutionem veſtram circumſcripſit? Quod autem deinde eidem Regi tribuitis, quaſi dixiſſet, *duo inprimis genera hominum reſtitiſſe veſtræ reſtitutioni, Hæreticos & improbos Eccleſiaſticos*: facilè omnes verba illa, *Hæreticos & improbos Eccleſiaſticos*, ab implacabili potius veſtro aduerſus Euangelicos, & cæteros Pontificios Ordines odio, quam à Principe tam moderato (qui vobis etiam Regum Parricidis, & omnium in regnis ſuis Seditionum & Rebellionum autoribus, fautoribus & fomitibus ignouit) profecta eſſe credent. Scitur enim, Becane, vos legitimis

a Ieſuitæ ſe in Gallia liberè reſtitutos eſſe iactant.

b Ieſuitarum reſtitutioni qui præcipuè reſtiterint.

Senatus Pontificii iudiciis condemnatos, & authoritate huius ipſius Regis Regno exactos: nec Euangelicos, ſed Pariſienſis aliarūque curiarum, licèt Pontificiarum, ſenatores (in quorum ſacrum numerum *improbus nullus*, multo autem minus *improbi Eccleſiaſtici*, quod ſciatur, vlli admittuntur) veſtræ reſtitutioni reſtitiſſe. Tam dura itaq; in tantum Senatum verba, quis non potius veſtræ immoderatæ, atque adeò indomitæ in omnes bonos maleuolentiæ, & implacabili vindictæ cupiditati, quam Principi etiam de hoſtibus ſuis, ne dicam de vitæ ſuæ & Regiæ dignitatis defenſoribus, benè mereri ſatagenti, attribuerit? Quid? totam illam orationem tantò omnes ſuſpectiorem habent, quòd etiam in ea negetur, *Ieſuitas docere Regum, qui Pontifici ad nutum non parent, parricidia*: cum hoc ſuprà euidentiſſimè probatum ſit, & non ſolum Iohannes Caſtellus, & multi alii reipſa probarint, ſed & Scripta Guignardi & multorum aliorum apertè demonſtrent, ipſeque Rex, à Sacrilego Ieſuitarum Diſcipulo vulneratus, id confeſſus ſit. Niſi fortè inter alias contumelias etiam hanc (quâ Regi iudicii & veritatis amanti nulla atrocior & capitalior inferri poteſt) temerario auſu inferre, tantoque Principi Æquiuocationis artem affingere velitis, quaſi ipſe ſe ante, cū vulneratus eſt tyrannum fuiſſe, cæterosque omnes Reges & Principes Euangelicos, etiā

nunc

nunc tyrannos, nec Regni aut Principatus capaces eſſe fateretur: cum illum dicere ſcribatis, *nunquam inuentum eſſe, qui ab iis necem REGVM didicerit*, quandoquidem facies ipſius Regis, à Diſcipulo Ieſuitarum percuſſa & læſa, vos impudentiſſimi mendacii conuincat; vel itaque ſe reliquosque Euangelicos Reges & Principes, antè, nec Reges, nec Principes fuiſſe, vel, nunc eſſe, dicere eum oporteret, vel hæc ipſi falsò, vt alia multa, attribuitis. Cætera, quæ de Barrerio & Iohanne Caſtello Regem ſentire ſcribitis, ad Acta Curiarum Parlamenti ſuperius relata remittunt boni, ex quorum comparatione facilè deprehendetur, vobiſne an tanto Senatui veritas magis ſuffragetur. Annon quoque, qui Argumentum illud, quod à Iuda Iſcariote Maieſtatem ſuam ſumere dicitis, expendit, longiſſimè id infra Regii animi atque iudicii magnitudinem eſſe dicet? maximè ſi, quæ optima fide per Auguſtiſſimos Curiæ Parlamenti Senatores de communibus ſceleratisque Ieſuitarum præceptis Regi, ad ſuam totiuſque Regni ſui ſalutem, relata ſunt, perpendat? Quis quæſo, Becane, inter vos vnquam repertus (ſi verum eſt, *vos Regum & Principum, quos Hæreticos vocatis, ſalutem ciuiliter deſiderare*) qui parricidia & veneficia iam à veſtris in eos patrata vllo ſcripto aut dicto ſolenni improbauerit? Sed tantum abeſt, vt

Barrerius.

Iudas Iſcariot.

Ieſuitæ Parricidia Regũ laudãt, non corripiunt.

illa improbata fuerint, vt contra propter fe-
licem eorum ſucceſſum, vti nunc aliquo-
ties dictum, publicæ lætitiæ per vos, tan-
quam pro bono facto vndique inſtitutę fue-
rint.

Denique quid bonis omnibus, qui Ty-
rannidem Romano-Hiſpanicam Domi &
foris toties experti ſunt, à veritate alieniu
videri debet, quàm tantum Regem, qu
& ipſus toties fraudulentas Hiſpanorum
Ieſuitarum, adeoque ipſius Pontific
& Cardinalium artes, perfidos conatu
& ſanguinarias manus ſenſit, tandem ipſi
licèt Regum & Principum, ſuique ipſi
ſicariis & Parricidis, Regnum ſuum acce
ptum ferre, atq; inſuper eoſdem tantis lau
dibus efferre? Suprad. itaq; orationem Bo
omnes à libera Regis voluntate profectam
eſſe, neutiquam ſibi perſuadere poſſunt, ma
ximè cum videant præcipuos Pontificum
& Hiſpanorum hoſtes, qui à vobis pro Re
bellibus & Hæreticis habentur, ipſius op
conſilio iuuari. Aut hîc aliquid erroris late
re quidam aiunt (quod boni non ſperant
aut illas veſtrorum laudes, quas ipſi adſcri
bitis, à vobis potius, quam à Regio ore pro
fectas eſſe credunt, vt Regia ipſius fide
apud credulos in dubium vocetur; Lice
alias non parum mirentur, cum Sedem Ro
manam non lateant ipſius conſilia & fact
qua

quænam nunc vafrum Pontificem clementia teneat, quòd nihilominus vt *filius dilectiſſimus propter Religionis* [a] *zelum* (quo illum *flagrare* ait) ametur, & à vobis Regum *qui Hæreticis fauent*, Parricidis, non lædatur, ſed laudetur ; Cum aliàs ex Decretis Pontificum doceatis, *ſi quis Rex Hæreticum fauore* [b] *proſequatur, eum ipſo facto Regnum amittere, eundemque per vos omnium ſicis & venenis exponi.* Hæc itaque argumenta, quibus Orationem illam potius veſtra fraude excogitatam, quam in Rebellium & Parricidarum ſuorum laudē, regio ore prolatam eſſe aiunt, prius tollere vos oportet, quam tibi mendaciſſimo, illam pro vera Euangelicis obtrudenti, à bonis fides habeatur. Qui enim ſemel malus & mendax, ſemper præſumitur talis in eodem genere.

Sed pergamus vltra, Becane, & nugis tuis diſcutiendis, ſi fieri poteſt, colophonem addamus. Ægris tu, omneſq; veſtri Antichriſtiani, auribus animiſq; percipitis, [c] Iacobum I. Magnæ Britanniæ Regem (Principem pietatis, doctrinæ, omniſq; virtutis laude nulli ſecundū) à Batauo clementiſſimum & moderatiſſimū in Pontificios laudari, & neſcire te ais, quomodo id intelligi Batauus velit ? Rotundè atq; ſincere, Becane, non lenonū veſtrorū more; qui veſtris ementitis laudib. honori & ſaluti Regum & Principum aſſiduè inſidiari ſoletis : quod & hîc arte vete-

a Vide Pauli V. Pontificis Reſponſum ad Orationem Mauritii Breſſi Oratoris Regi, in Superiore Ducis Niuernenſis legatione Romæ habitam. 27. Nouemb. 1608.

b Treſham. in lib. De officio Principis, & multi alii.

c Iacobus I. M. Britanniæ Rex contra Ieſuitas vindicatus.

ratoriâ facere tentas, cauſas moderationis non innatæ ipſi à Sereniſſimis Regibus parentibus virtuti & pietati (quas Batauus eximiæ eius moderationis & clementiæ fontes notat) attribuens, ſed Pontificiæ Parentum ipſius Religioni: cum tamen Maieſtas ſua ipſa, Becane, Batatui fidem poſteà confirmarit, & te impudentiſſimi mẽdacii ſubiectâ oratione cõuincat: vt qui ſe *Patrem & Auum paternum idem cum ipſo de fide ſentientes habuiſſe teſtetur. Reginam verò matrem auguſtæ memoriæ, quanquam in ea Religione perſtiterit, quàm à teneris annis imbiberat, tantum tamen a craſſioribus Papiſtarum ſuperſtitionibus, & nuperis Ieſuitarum dogmatis abfuiſſe, vt & Archiepiſcopo illi, qui eam Baptiſmatis fonte abluerat interdici curauerit, ne ſaliua inter ceremonias vteretur; & quidem morem geſtum fuiſſe imperanti, omiſſamque rem illam fœdam ſanè, magiſque ad inimicum Chriſti* [a] *deriſum, quàm ad imitationis pietatem inuentam.* Cuius verba etiam adiicit: *Nolle ſe, vt impurus & lue venereâ infectus presbyter in os infantuli ſui inſpueret.* Quin & *Baptiſterium, in quo ſalutari aqua ſe tinctum,* ait, *ex Anglia in Scotiam ſereniſſimam & immortalis memoriæ Eliſabetham tranſmiſiſſe, & ſe per Legatum de fonte ſuſcepiſſe* commemorat, addens, *quod Pium V. non latuerit, quid illa in Religione ſentiret.* Quod quicla-

a Aut potius ad ſuperſtitionis Paganicæ imitationem, teſte Iuuenali: *Ecce auia ac metuens Diuûm matertera cunis Exemit puerum, frontemque atque vda labella Infami digito & luſtrantibus ante ſaliuis Expiat, vrentes oculos inhibere perita.*

clarioribus argumentis illam glorioſiſſimi nominis Reginam, quam *ſuam matrem* nominat, à ſuperſtitionum ineptiis vindicet, id ſe aſſeuerare Regia ſua Maieſtas, ait, *ſe NVLLIS LITERIS, quas ab ea freque̅tes habuerit, ad Pontificiam Religionem fuiſſe inuitatum.* Hoc teſtimonium ipſius Regis quicunque videbit, non comminationibus Pontificum, non ſicis aut proditionibus Ieſuiticis Maieſtati eius expreſſum, ſed liberrimum & veriſſimum eſſe dicet. Tu interea arte Ieſuitica eidem moderationis virtutem attribuis, quaſi eam à Parentibus Pontificiis hauſerit, & nominatim à Guiſiacorum familiâ; de quorum moderatione lanienæ Vaſſiacæ, multæque aliæ per Galliam, ſed inprimis Pariſienſis, teſtimonium perhibent luculentiſſimum. Æquè impudenter, Becane, te mentiri vides, vt Batauus modeſtiſſimè tecum agat, cum ſcribis, Sereniſſimum illum Regem *Caluiniſtarum vi & importunitate impeditum, quo minus Po̅tificius fieret*, cuius impudentis mendacii Chriſtianiſſimi ipſius Parentes, piiſſimaque ipſius origo, educatio & vita libera, & ſyncera Chriſtianæ & Apoſtolicæ fidei profeſſio, fortiſſima conſtantiſſimaque eiuſdem contra Pontificios & Antichriſtum ipſum propugnatio, euidentiſſimè te conuincunt. Hæc cum Orbi Chriſtiano notiſſima ſint, à nullo, niſi ab illis, qui intellectu, iudicio, imo ipſa ſen-

ſualitate carent, negari poſſe, cæteri omnes vno ore, etiam te contra frendente, confitebuntur.

Sed vt Scorpionum [a] eſt, Becane, caudâ ferire, ita poſt fraudulentas adulationes veſtras, Patris veſtri Bellarmini veſtigiis inſiſtens [c], calumniis iſtis tuis Chriſtianiſſimum & ſereniſſimum illum Principem apud alios Reges & Principes Euangelicos in Apoſtaſiæ ſuſpicionem adducere tentas, quaſi clam Pontificius alia in Pontificis gratiam conſilia apud ſe agitaret, quod & multis rumoribus apud Euangelicos ipſius & vniuerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ hoſtes diuulgare ante hac conati ſunt. Sed vt Pii prudentioresque illis calumniis nunquam aures, multò minus fidem, præbuerunt, ita Chriſtianiſſima ſua Maieſtas non ſolum indubitatis & irrefutabilibus fidei publicatæ multorumque egregiorum ſcriptorum teſtimoniis, ſed & vitæ ſanctimoniâ ſemetipſam religioſiſſimè & glorioſiſſimè, aduerſus impoſturas iſtas Romanas & Ieſuiticas, hactenus vindicauit. Neque hanc eiuſdem Principis in vera fide ſinceritatem, atque in virtute conſtantiam Pontificem totamque veſtram proditorum & Parricidarum progeniem latuiſſe, cuniculi veſtri ſulphurei ſub Parlamēto in ipſius atque vniuerſi Regni perniciem ſtructi ſatis ſuperque teſtantur. Non enim Ieſuitæ, ſi vi-

lan

[a] Britanniæ Regem Ieſuitæ falſis rumoribus ſparſis ſuſpectum Euangelicis reddere conantur, & quare.

[c] Tortus in reſponſ. ad Apolog. pro Iuramento Fidelitatis, fol. 55.

Iam apud dictum Regem Apoſtâſiæ & reconciliationis cum ſede Antichriſtianâ ſpē reliquam ſciuiſſent, Regem Regiamque familiam, quaſi iam vltrò in veſtram ſuperſtitionem inclinantem, tam inauditâ crudelitate ac nefando ſcelere aggrediendo, odiū ſui apud vniuerſi orbis Reges & Principes augere voluiſſent. Vel ſi tam crudeli pręmio eos, qui ad Eccleſiæ Rom: gremium redire conſtituerent, compenſare velletis, annon merito Eccleſiam veſtram ſpeluncâ Latronum peiorem fateri te oporteret? Peruident itaque omnes, Becane, quomodò hinc calumniis & fraudibus, inde verò feritate plusquam brutali (dum fidei veſtræ datæ veritatem adſtruere nitimini) Regna & Principatus liberos perfidioſis ſceleribus euertere ſtudeatis.

Adhæc, quòd Pontifices, Hæreticis fidē ſeruandam non eſſe, ſuis ſcriptis & Breuibus populos aliorum Regnorum doceant, patet ex eo, quod Magnæ Britanniæ incolas à Iuramento fidelitatis (quod naturâ sereniſſimo ſuo Regi debent) præſtando dehortantur: quaſi eo ſeſe contra profeſſionem, fidei Catholicæ Hæreticis coniungerent, & Eccleſiæ Romanæ poteſtatem, iurisdictionem & obedientiam abiurarent. In totâ fide Catholicâ nullum hactenus Batauus articulum inuenit, quo vlli homini in ſubditos alterius Regni poteſtas vel minima data ſit: imo ipſe

Fidem hæreticis ſeruandam nō eſſe, Pontifices ſuis ſcriptis docent.

Chriſtus & omnes Apoſtoli ſe cuiuſcunque Magiſtratus Imperio ſubiecerunt: Phariſæi ſolum Chriſti tempore nec Cæſari nec Regi iurare volebant, vt ſupra Batauus oſtendit, vosque illos & perfidiâ & Rebellione veſtrâ longè ſuperare demonſtrauit. Equidem etiam omnes vident, vos non ſolùm voſmetipſos, vti Phariſæi faciebant, ſed & aliorum ſubditos à fide Regibus iurandâ dehortari. Dicis interim, Becane, Batauum *falſo Paulum V. Pontificem criminari, tanquam ipſius mens non eſſet, vt Catholici in Anglia Regi ciuilem obedientiam & fidelitatem in rebus Politicis & ſecularibus negent, ſed tantum Eccleſiaſticam.* Quid Batauum, Becane, deliriis tuis & contradictionibus moraris? Eumne, quem antè *Hæreticorum caput* dixiſti, & vndique vti talem, & *non Chriſtianum*, diffamare conaris, tu nunc Regem eſſe fateris, quum ne fautorem quidem Hæreticorum, licèt cætera Catholicum, inter viuos tolerandum eſſe doceatis? Eiuſne ſubditis Pontificiis licere tradis, vt eidem nunc fidelitatem ciuilem præſtent, à cuius omnimodâ obedientiâ omnes ipſos, etiam ſub pœna excommunicationis, ſolutos eſſe clamatis? Videsne Becane, quomodo ducamini ſpiritu vertiginis? At inquies cum tortuoſo tuo Torto, *non omnibus temporibus omnia conſilia æquè ſalutaria; tali quidem ſe veritate vtendum, tempora Elizabethæ ſuaſiſſe Pio V. Paulum verò Quintum experiri velle, an medi-*

Pauli V. Ieſuitarum fraus in Fidelitatis Iuramento ciuili per Pontificios Anglos præſtando detecta.

Fidelitatis iuramentũ ciuile, cum Ieſuitæ ab Anglis Pontificiis præſtari poſſe ſcribunt, inſidiosè fallunt.

Tortus in d.l.29.f.

medicamenta[a] *mitiora fortaſſis prodeſſent, præſertim cum Rege maioris prudentiæ atque doctrinæ, & cuius Parentes Catholici ſemper fuerunt; & non iudicaſſe hoc tempore expedire, vt Rex nominatim excommunicaretur, vel excommunicatus publicè declararetur*, &c. O catum & mitem Pardalum; ſciunt vti foro Pontifices. Paratam habebant ſocii fœderis communibus viribus tremendam claſſem mari, & potentiſſimum exercitum terra; Anglia & Hibernia intus factionib. agitatæ: Scotia nondum cum illis Regnis vnita: nondum adultæ Fœderatarum Prouinciarum vires. Seueritate tali Philippo II. Hiſpaniarum Regi Pius Quintus vtendum ſuaſit: Suadebant hoc illa tempora, id eſt, rerum in illis regnis occaſiones: Paratiſſimi ſibi videbantur ſocii ad effundendum ſanguinem inſontium, dũ illos Pace morabantur. Nunc autem alia tempora; nondum animi bellis & diſſenſionibus anterioribus diſſociatorum rectè coaluerunt: nondum illorum vires terreſtres & maritimæ ſatis reparatæ; Et è contrà, tria illa Regna Septentrionalia, Anglia, Hybernia & Scotia ſub vno Rege maximæ prudẽtiæ & doctrinæ adunata: Affinitate Potentiſſimi Daniæ & Norwegiæ Regis idem ille Rex firmatus: Adultæ Fœderatorum Belgarum fidiſſimorum ſociorum vires nondum hæ ſatis turbatæ vel attritæ; Hoc tempore non expedit Paulo V. vt rex talis excommu-

[a] Notate mitia remedia Pontificum, ad Regna & Principatus ab Hæreſi liberanda. Vnde meritò à B. Paulo 2. ad Timoth. 3 *Immites* appellantur.

niceretur: tali temeritate haud dubiè irritarē-tur Leones Septentrionales, vt communib. viribus & vndique Lupum Romanum impeterent, & ſtulti conſilii præmium ipſi darent. Veneti prius in Ordinem reducendi, ne & hi in Pontificem, ſed potius cum ipſo in Hæreticos, vt antè, armentur; Veteribus Romanorum artibus Britannia tentanda, terenda, terrenda: Regna illa omnib. technis inter ſe committenda: æraria exhaurienda: ſecuritas illis paranda: æmulationes atq; diſſenſiones domi & foris excitandæ: imò, ſi fieri poteſt, regna illa in vicinos armanda, eorumue auxilio illi prius in ordinem reducendi: Sociorum Sancti fœderis animi colligandi, viresque reparandæ in proximam occaſionem. Hæc dum ita domi foriſq; agētur, *mitioribus medicamentis* apud Regem maiori prudentię vtendum, *Mitiora medicamēta*, Reges & Principes, attentè conſiderate, quæ bonus ille Paſtor tanto Principi, adipſum Regnum ab Hæreſi curandum, adhibere prius deſtinauerat. Et quæ, cædò, Becane: (Horror animum ſubit, quoties recordor ferale facinus) Sulphureos cuniculos, (nam quæ boni ſcelera, Ieſuitæ remedia & quidem mitiora vocant) quibus Regem, Reginam, totamque Regiam ſtirpem, vniuerſos Regnorum illorum Ordines, Pontificios iuxtà ac Euangelicos, pluſquam Phalaricâ barbarie, vno ictu, & velut citra ſenſum, euertere

Remedia Ieſuitica.

mitis ille Pater conatus eſt; Quaſi cita mors Regi ipſi mitiſſima, Regnoque ab Hæreſi liberando aptiſſima foret. Et procul omni dubio eſt, quòd *medicamenta* illa, ſi ſucceſſum habuiſſent, Pontificiis coniuratis multò *mitiora* futura fuiſſent, quam ſi ſancti fœderis Socios cum validiſſima gente armis certare oporteret. Vides ergò, Becane, excommunicationis contra Iacobum I. Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem hactenus dilatæ cauſam non eſſe lenitatem; Pardum animo ferocem, non lenem noſti. Septima hæc [e] Beſtia Apocalyptica nunc decrepita & morti vicina, mitior ne fieret, cū in Senecta eam magis homines appetere referant [g] Hiſtorici? minimè; ſed, vti ſolet, multo aſtutior & crudelior facta eſt. Acrius enim & periculoſius ſerpentes mox morituri mordere ſolent. Sed cui Deus cuſtodia, quid ei nocere poteſt?

[e] Pardalus Septima Beſtia.

[g] Plin. 8. Natur. Hiſtor. c. 16.

Verum, Becane, cum Antichriſto *Patri* veſtro & Depaſtori vniuerſali *datum ſit, facere ſigna magna, vt etiam ignem faciat de cœlo deſcendere in terra in conſpectu hominum*: Quæ cauſa, cur veſtri, velut vltimi illius vicedei Apoſtoli, ignem infernalem contra Regem illum excitare maluerunt, quàm Deum veſtrū inuocare, vt *ignem de cœlo faceret deſcendere, ad illum cum omnibus ſuis conſumendum*? Et Ignatius de Loiola, fundator veſter, *Prophetico* Anagrammate, literâ S.

Antichriſti miracula. Ap. c. 13. v. 12.

Apoſtolorū ſtultum votum contra Samaritanos. Luc. 9. v. 54. & 55.

tantum additâ, conuertatur in IGNIS A DEO ILLATVS? Plures haud dubiè cauſę referri poſſent. Sed tēpus miraculorum Antichriſti & Antichriſtianorum nunc fortè præteriiſſe noſti; aut veriti fortè eſtis, ne, ſi ignis iſte tam vaſtum mare traiicere debuiſſet, vndis extinctus fuiſſet prius, quā in ipſam Britanniam peruaſiſſet; vti anno 1588. Dei benignitate factum eſt. Vel denique miracula Antichriſti tantum apud eos, qui pereunt, non autem apud Chriſti fideles, vim ſuam exercere reipſa experti eſtis. Quicquid ſit, cum Ieſauitæ ſe non veri Dei (*qui parcit impio propter iuſtum*) ſed vice Dei Apollionis illius (*qui perdit iuſtos ſuos cum impiis*, cum non poſſit non nocere, occidere, & perdere) miniſtros eſſe ſciant,

Gen. 18. v. 26

Vt ſupra oſtenſum eſt ex actione in Garnetū, p. 79.

Flectere cum ſuperos nequeant, Acheronta mouere maluerunt potius, quam non nocere; licet hactenus non meliore ſucceſſu, Dei beneficio, quam falſi *Prophetæ* temporibus Eliæ. Quod autem Tortuoſus Cardinalis veſter ſcribit, *Paulum Quinto non iudicare, hoc tempore expedire, vt nominatim excommunicaretur, aut excommunicatus publicè declararetur*: ipſe ex prædictis videre potuiſti, Becane, eum non facere, quod *Pontifex* maximè videtur oſtentare, vt nimirum orbi Chriſtiano moderationem ſuam probet, & Regi ac Regno ſecuritatem paret; tanquā ſi vel ſocii ſancti Fœderis, vel ſubditi *Pontificii*

Quare ex communicationem Iacobi Mag. Brit. Regis ſe diſferre Pontifex ſimulet.

ficii nihil aduerſus Regẽ illum Hæreticum, ante eiuſmodi ſententiam declaratoriam, tentare de facto auderent. Fraudes illas eſſe, & anteriores Proditiones oſtendunt, & vniuerſus orbis agnoſcit. Verum, vt mendacium verſuti illius ſenis, ſimulatione beneuolentiæ inuolutum, Britanniç populos fallat, Pardi hîc exuuium Antichriſtus induit, vt aſtu perdat, quem viribus ſuperare deſperat, imo cuius pietatem & potentiam ante omnia timendam habet. Pardus enim, vt ſimias, capitales ſuos hoſtes, lætâ ſuæ mortis ſpe deceptas ex altis arborũ ramis ad ſe pelliciat, in corporis vaginas vnguium mucrones condit, ſeque dormire, imò mortuum eſſe fingit; ſed intra mucrones ſuos fictæ mortis lætitia adductas, & præ ea ſaltantes, ex improuiſo, omnes ad vnam perdit atque diſcerpit. Sua enim hac lenitate aliiſque falſæ clementiæ & moderationis perſuaſionibus Antichriſtus optimum illum Regem ſecurum reddere, deliciis inuoluere, incertis & dubiis Amaſiorum ſuorum promiſſis implicare, & à veris ſuis amicis eiusdemq; periculi conſortibus abalienare nititur; vt regnorum ſuorum protectioni neceſſaria terra marique, quaſi ſuperuacua vel negligat, vel aliò fruſtra conuertat; & ſic incautus imparatusque Princeps facilius opprimi poſſit. Adhæc, ne excommunicatione publicatâ, omnes Pontificii, tanquam Antichriſtianæ

factionis coniurati, eiuſdem occaſione Regnis illis expellantur, atq; hoc modo omni proditionum anſa Pontifici præcidatur. Denique ne ſecretum excommunicationis Pontificiæ, ob defectum operationis, omnibus ludibrio exponatur. Non enim ob id excommunicationem omittit, quod ſubditos Regi Hæretico in ciuilibus magis, vel æque obſtrictos eſſe velit. Nam, ex ſuprà relatis Euangelici Reges & Principes ſatis aperte viderunt, contra notorios Euangelicos neque informatione, neque excommunicatione aut declaratoriâ nouâ opus eſſe, ad ipſos de throno deponendos, vel ſubditos eorum à fidelitatis iuramento abſoluēdos: cum ſolus veſter Canon, *Quia Achatius* &c. ſuprà citatus id ſatis oſtendat, dum dicit: *Quia Achatius non eſt factus inuentor noui erroris, ſed veteris imitator, atque ideò non erat neceſſarium, ut aduerſus eum noua ſentētia prodiret.* Falsò quoque oſtendant, ad ſecuritatem Regi parandam, eum excommunicatum non eſſe, cum Hæreſin pro crimine læſæ Maieſtatis habeant, cuius pœnæ etiam Hæredes (maximè et ipſi pro Hæreticis habeantur) ſequi ſolent. Atque hæ inter reliquas ſunt veræ cauſæ, Becane, ob quas nullam in ſereniſſimum M. Britanniæ Regēm, aliosque Reges, Principes & Ordines Euangelicos, Pontifex nominatim excommunicationem effulminat. Caueant itaque Reges, Principes & Magi-

ſtra-

ſtratus Euangelici quam diligentiſſimè in illiusmodi veſtris duplicibus ſcriptis, Becane, neceſſe eſt: alioquin timendum fuerit; ne ſubditorum quorundam Pontificiorum fidelitate perſuaſi, minusque ſibi à clandeſtinis maleuolorum & coniuratorum Pontificiorum & Ieſuitarum inſidiis, machinationibus, cuniculis & veneficiis cauentes, facilè ſimilibus ſanguinariorum conſiliis inuoluantur, quibus multi in Anglia, Gallia, Belgio & alibi inuoluti fuerunt: quibus etiam Senatus Populusque Geneuenſis in libera illa Republica, & ſereniſſimus Iacobus I. M. Britanniæ Rex Londini atq; alibi, niſi Deus malum ſingulari bonitate auertiſſet, implicati periiſſent. Etſi enim horum nemo nominatim excommunicatus fuerit, laudata tamen publicè, non improbata à Pontificibus & Ieſuitis veſtris proditionum opera, ipſique Parricidæ in numerum Deorum relati. Quod vtique & iniuſtiſſimum & impudentiſſimum foret, niſi fidem Hęreticis ipſo iure, & absque noua declaratione non ſeruandam eſſe, à Pontificibus traditum eſſet.

Cætera, Becane, quæ de ſacratiſſimo Imperatore Rudolpho, de Illuſtribus Fœderatorum Ordinibus, & de Turcarum Imperatore aſſuis, extra oleam ſunt. Calumnia, quam ſereniſſimo Magnæ Britanniæ Regi affingis, quaſi Maieſtas ſua quenquam ſubditorum ſuorum vi ad Religionem coëge-

Iacob. I. M. Brit. Rex cõtra Ieſuitarum calumnias defenſus.

rit aut cogat, æquè, ac anteriores, impudentiſſima eſt. Scit enim ille, Religionem non eſſe coactionis, ſed gratię: cogit ſubditos abiurare, quod in omnium Regum poteſtate eſt, peregrinam Pontificis tyrannidem, non ſanctam fidem Catholicam: imò hanc vbiq; & per omnes Eccleſias Imperii ſui docere iubet, & vt Princeps Chriſtianus ſumma ſollicitudine curat; Non ille pari rigore Pontificios opprimit, quali in Hiſpania, Italia, & alibi ab Inquiſitoribus Euãgelici & fidei ſuæ conſortes opprimuntur; etiamſi ex Regula talionis, Spiritus Sancti authoritate approbatâ, vos velut Idololatras, Impoſtores, & falſos Prophetas, æquè punire poſſe videatur.

Reddite ei, ſicut & ipſa fecit vobis, & duplicate ei duplũ, ſecundum opera eius, Apo.

Ad VIII. & IX. Quæſtiones; an ſcilicet Catholici ſcribant & ſentiant, non eſſe Hæreticis fidem ſeruandam, & reipsâ non ſeruent?

Reſponſio.

IN hiſce duabus Quæſtionibus, vti & in prioribus, ad inſipidas tuas Nugas, Beiane, atque impudentes calumnias, velut ad indolem tuam redis. Pontificiorum quorundam decreta, ſcripta & iudicia de Fide Hæreticis non ſeruandâ, quæ Batauus produxit, vera ſunt: quæ etiam tu hactenus refutare non potuiſti, neque deinceps poteris.

Tan-

Tantum, quod eam Theologorum inſaniã (quâ Sorbona in mediis ciuilibus flammis populum à Fidelitate erga Principem abſoluit) à Pariſienſi & aliis *P*arlamentorum curiis fuiſſe comprobatam Batauus ſcripſit, improbas, Etiamſi ipſi veſtri Theologi, Præſides & Senatores, ſe veſtris furiis ad inſaniã Rebellionis excitatos eſſe, ſuprà citatis locis & aliis quam plurimis oſtenderint. Quid? ipſi veſtri Coriphæi fatentur vltrò, multa à veſtris, ſcilicet ſanctiſſimis patribus, in illa rerum omnium perturbatione ſecus acta fuiſſe, quàm debuerint. Interim tu, Becane, mauis mendaciis tuis calumnias addere, quàm publica atque notiſſima errata veſtra fateri. Tempora Rebellionum Guiſiacarum & popularium, actaque funeſtiſſimis veſtris conſiliis Sorbonæ & aliis Iudiciis expreſſa; à vobismetipſis improbata, à Parlamentis damnata, Regiâ authoritate abolita & ſepulta, laudare non pudet? Prudentiſſimos & conſultiſſimos viros appellare audes eos, qui tam impiam Sorboniſtarum ſententiam, ad ſubditorum contra legitimum Regem rebellionem excitandam, iudicio ſuo comprobarunt: cum ipſoſmet deinde tám infauſti conſilii puduerit, ipſique eius memoriam, vt ſupra demonſtratum eſt, contrariis Arreſtis, poſt tranquillitatem publicam regno reſtitutam, damnarint & ſepeliuerint? Ad reliqua Octaui capitis

Sorbonæ rebellis Inſania à Ieſuitis laudatur, & eiuſdem Iudicia recta & moderata repræhẽduntur.

Ieſuitarum in ſuis mẽdaciis tuendis obſtinatio calumnioſa.

Arreſta Parlamenti Pariſienſis rebellionis Guiſiacæ tẽpore pronũciata Ieſuitæ laudant & legitima ac tẽpore pacis prolata improbant.

quod attinet, ea ſi quis legere volet, ex capite Ieſuitico, quod intellectu & iudicio caret, prodire, facilè animaduerterit. Illuſtres Fœderatorum Ordines præfecturas nullas eâ conditione dare ſolent, vt ipſo iure illi, qui eas tenent, priuentur, ſi peregrinus aliquis Pfaffus eos Hæreſeos accuſaret. Pietatem Philippi II. Hiſpaniarum regis quod Batauum ridere ais, æquè malè notas. Quæ quæſo, Becane, in maximo potentiſſimoque Orbis Chriſtiani Rege pietas fuerit, ſe poſterosque ſuos, imò & regna & principatus ſuos intolerandæ hominis peregrini, vniuerſique Orbis Raptoris tyrannidi ſubiicere? Fœderati Euangelici hanc conſuetudinem non habent: habeant eam licet Reges & Principes Pontificii, quibus vos his atque ſimilibus veneficiis, & incantationibus, regna & Principatus ſuos, ad reſtaurandam vniuerſalem Pontificis Regis veſtri tyrannidem, ſubducitis. Bataui ſibi, quantum poterunt, in Reipub. negotiis, à fraudibus tam *Pontificum* peregrinorum, quam aliorum, ſimilem in Magiſtratus ſuos tyrannidem quærentium, ſeruatâ pietate atque iuſtitiâ, diligentius Dei auxilio cauebunt. Interea tu, cicada, ad cantilenam tuam redis, dum etiam in hac VIII. tua Quæſtione conſtantem Bataui fidem, fallacibus tuis nugis vellicare tentas, quaſi malâ fide Simancæ locum, de Fide Hæreticis non ſer-

Fœderati Belgii Ordines, quomodo de præfecturis diſponant.

Pietas Philippi II. Hiſpaniarum Regis in vniuerſum orbem.

ſeruandâ, produxiſſet. Verus eſt locus, nec abs te, non magis quàm alii ſuperius allati, in dubium vocari poteſt. Quòd autem tu cum eo & aliis diſtinctionem illam adiicis, *ſeruandam eſſe in licitis & honeſtis, aliàs non item*: Petit iterum abs te Batauus, vt pactorum, quæ licitè & honeſtè cum Hæreticis iniri poſſint, exempla quædam proferas. Pacta enim publica vos ſeruare negat, quibus Euangelici Religioni Chriſtianæ vitæq; ſuæ & ſuorum, contra veſtram perfidiam, caueri volunt. Itaque fruſtra vos illis fidem ſeruare gloriamini, ſi in iis fidei veſtræ fidentibus, fraudeque veſtrâ irretitis vitam deinde tollatis, tanquam ſi *illicitum & inhoneſtum* eſſet Euangelicos ita tolerare. Quod & veſter Simanca, temetipſo referente, tradit; *Accedit*, inquit, *quòd cum Hæreticis nullum commercium, nec pax vlla Catholicis eſſe debeat: Quamobrem fides illis data etiam iuramento firmata, contra bonum publicum, contra ſalutem animarum, contra iura diuina & humana nullo modo ſeruanda eſt*; Bono publico, ſaluti animarum, iuri denique Diuino & humano aduerſari intendens; Euangelicos ita tolerare. Hanc clariſſimam deciſionem, Tenebrio, vt Batauos in perditionis naſſam pertrahere poſſis, obſcuris diſtinctionum in-

Fidem Hæreticis ſeruandam nō eſſe Ieſuitæ docent.

uolucris tegere niteris. Sed fruſtra. Imo *ſi munimentorum, vallorum aut vrbium cuſtodiæ à Rege alicui Præfecto Pontificio datæ ſint, Papa ei permittit, imò præcipit, vt vel ſibi vel Pontificio Principi reſtituat.* Simanca in Cathol. ſua inſt. cap. 46. nu. 73. per cap. vlt. de Hæreticis, quod magis eſt, etiam ſi quis *cum iuramento promiſerit alicui ſoluere, ſi poſtea is excommunicetur, dicitis non teneri debitorem ſoluere, quia qualitercunque poſſumus, malos vexare debemus.* Gloſſ. in can. nos Sanctor. cauſ. 15. q. 6. Sed quandoquidem Batauum ad Molanum tuum aliquoties remiſiſti, audiamus quid & ipſe ſuper illa tua diſtinctione, qua *in licitis & honeſtis fidem ſeruandam eſſe dicis,* conſtituat. *Dicet fortaſſis aliquis* (inquit) *ſemper in ſe malum eſſe, quandocunque aliquid Hæreticis promittitur. Sunt enim illi ſubuerſi & ſubuerſores: At his ſecuritatem dare, vt ad concilium veniant, & vt, etiamſi pertinaces ſint, ſecurè recedant, in ſe malum eſſe videtur. Quid enim? ſubuerſi ſunt, ſcribit Apoſtolus, volens eos poſt vnam & alteram correptionem vitari, quia ſubuerſi ſunt. Subuerſores quoque ſunt: quia habent naturam Lupi & Serpentis, quia vbicunque ſunt, volunt oues mactare, & venenum ſuum diffundere. Ergò videntur nec ſub ſaluo conductu, cum ſpes correctionis non ſit, ad Concilium vocari poſſe. Hæc*, inquit, *& alia nonnulla obiici poſſunt, & quorundam animos angere, vt putent, nec*

ſecu-

ſecuritates, nec fœdera, etiamſi promittantur, ſeruari poſſe. Neque hanc ſententiam Molanus improbat: ſcit enim ſe improbare ſaluo iudicio Romanæ Eccleſiæ non poſſe: Sed detectæ fraudi operculum quærit; *Itaque*, inquit, *vt vtrique auferatur diffidentia, nihil tutius, quàm vt in rebus tanti momenti, & quæ periculoſe tractantur, ipſius etiam Pontificis Maximi authoritas interueniat, vt, quod ſemel* BENE *tractatum eſt, poſteà abſque ſcrupulo & remorſu retineatur: quamdiu aduerſarius apertè pacta non transgreditur.* Atque hîc tuus Molanus tantum de ſaluo conductu Hæreticis nondum condemnatis, ſed ad conſilium vocandis dando diſputat, quod ipſe valere negat, cum Pontificis authoritas non interuenit. Quid ergò, Becane? Si Euangelicis; quos Hæreticos vocatis, iã condemnatis & excõmunicatis fides publica, citra Pontificis authoritatẽ, detur, eam ſeruandã eſſe dicetis? cum canones & decreta Conciliorum, & Decretales Pontificum, & ſcripta veſtra omnia manifeſtiſſimè, vt ſuprà demonſtratum eſt, contrarium teſtentur? Vosque omnes communi conſenſu, *tales promiſſiones*, velut *contra bonum publicum, contra ſalutem animarum, contra iura diuina & humana conceptas, etiamſi iuratæ eſſent, non eſſe ſeruandas* ſcribatis? tanquam illæ *vinculum Iniquitatis eſſe non debeant.*

Et in IX. tua Quæſtione ais, ſaluos conductus ita communiter dari, *vt ſalua ſemper ſit iuſtitia*: quam clauſulam & hîc tu Batauum dicis diſſimulare. Quæ te quæſo, Becane, neceſſitas mentiendi impellit? Illa clauſula ita hactenus à Batauo non diſſimulata, vt ea velut præcipua cauſa argumentum eidem dederit fallaciæ & fraudis veſtræ detegendæ. Itane Euangelicos, Becane, ſtupidos putas & inſulſos, vt ſe veſtris peruerſis, tortuoſis & violentis Iudiciis ſint ſummiſſuri, ſub fide ſalui conductus aut ſecuritatis publicæ, quæ talem vel expreſſam vel tacitam in ſe clauſulam contineat? vobiſque hoſtibus Accuſatoribus & Iudicibus ſimul vitæ ſuæ arbitrium permiſſuri? Ad lyram, Aſine, cum deliris tuis nugis.

Iurata pacta an violata.

Denique, Becane, ne calumniari, antequam ſcribere, deſinas, impudenter Batauum ſui immemorem eſſe garris, quum dixit, falsò te verbum, *Iurata*, ſuis ſcriptis addidiſſe, quibus de Miſſæ reſtitutione per Auſtriam ſuperiorem factâ egit. Idem etiam nunc & quidem ſui optimè memor reponit, ac dicit, te falſiſſimè more veſtro verbum, *Iurata*, ei aſſertioni addidiſſe, atque adeò te impudentiſſimè calumniari, dum Batauum fingis ſcripſiſſe, quod Archiduces Auſtriæ contra pacta *iurata* Baronibus, Nobilibus & vrbibus Euangelicis Religioni

ſuæ exercitium per ſuperiorem Auſtriam abſtulerint; cum ille ſcripſerit, quod in Auſtria Superiore miſſa Romana remiſſa & reſtituta ſit cum tali ſucceſſu, vt Archiduces &c. In libello autem Pro Defenſione Tertia oſtendit, quomodo illis Religionis libertas contra promiſſa ablata ſit, nullâ factâ mentione iuramenti. Quanquam facilè Batauus cum Molano[s] veſtro credat, *in arduis Reipub. negotiis*, quale eſt religionis, *propter magnitudinem rei fidem publicam non minorem vim & authoritatem, quàm iuſiurandum, habere.* Sicuti etiam Ordines Auſtriæ Euangelici aperte conqueruntur. *Religionis libertatem Quarto ſuorum Ordini contra expreſſam sereniſſimi Matthiæ Hungariæ Regis Conceſſionem per conſiliarios ipſius ablatam eſſe.* Ni itaq;, Becane, excæcatus calumniator eſſes, videre potuiſſes, Batauum ſeparatim de Gallia, inde de Hungaria & Polonia, mox de Auſtria ſuperiore non tamen eodem modo agere. Potuerunt, Poloniæ & Hungariæ Regum Ieſuitici Conſiliarii, ex Schola veſtra producti, Reges adegiſſe, vel ipſis innocuis ſanguinaria quædam mandata affinxiſſe, vt ipſorum Delegati contra pacta iurata egerint, vt tamen Ieſuitæ Auſtriaci eos tantum contra pacta publica facere ad-

[s] Molanus de fide Hæret. ſeruanda, c. 11. Vide kurtzer anhangk fol. 28.

Hoſius Cardinalis Epiſtol. 193. 202. & 220. Henricum Poloniæ Regem monet, nullo modo debere fidem datam Euangelicis Polonis ſeruare, *Nunquã*, ait, *patiaris, vlla te ratione ad ea quæ promiſiſti, præſtanda, teneri; Quia iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis.* Idem repetiit Stephano Regi A. Poſſeuinus.

egerint. Quæ contrauentiones deinde Regibus & Principibus, qui illas impedire debebant, adſcribuntur. Teſte enim Imperatore Maximiliano II. Principe indubitatæ fidei, *non ſemper ipſi Imperatores & Reges in aulis dominantur:* Sed Nuncii & Legati Pontificum, ipſorumque ſatellites Ieſuitæ, atque alii, qui peregrinorum ſordibus corrupti, principum ſuorum honorem ipſi ſuâ perfidiâ proſtituunt. Nec alio colore dictus Imperator perfidam illam Bartholomæi lanienam, contra fidem iuratam, Ieſuitarum & Guiſiacorum conſiliis per Gallias patratam tegere potuit, cum ſcribit, *ſe magno cum animi dolore intellexiſſe, Generum ſuum ſibi perſuaderi paſſum eſſe tam fœdam lanienam. Quanquam ſciam*, inquit, *magis ibi alios imperare, quam ipſum: attamen hoc ad excuſationem facti non ſufficit, neque hoc ſatis eſt palliando ſceleri.* Videſne, Becane, quomodo Batauus hîc hæreat & tergiuerſetur? Putaſne Batauos Ieſuitarum ſimiles? Bataui nec perfidiæ, nec Rebellionum Doctores, nec calumniatores, nec Regum ac Principum proditores, parricidæ, venefici, incendiarii. *Omnium Germaniæ Gentium virtute præcipui Bataui*, qui ob id olim *fratres & ſocii Imperii Romani facti: manet honos & antiquæ ſocietatis inſigne* &c. Videne quam falsò illos Imperii domeſticos ne-

Maximiliani II. de Lanienis Pontificiorum iudicium.

Data eſt hæc Epiſt. ad Lazarũ Swendii 22. Feb. 1574. Viennæ Auſtriæ.

Batauorum Laus.

Domeſtici Imperii.

ges

ges? Illi enim domeſtici alicuius Imperii ſunt, qui illius dignitatem, magnitudinẽ & gloriam promouent. Hoc faciunt Batavi aduerſus legem & Tyrannidem peregrinã, Concilium Tridentinum, & Inquiſitionem Romano-Hiſpanicam. Vos Ieſuitæ, iſtius peregrinæ Tyrannidis, contra Imperii, Regnorum & Principatuum vtilitatem, dignitatem & maieſtatem, per Germaniam & alibi præcipui promotores. Quâ etiam de cauſa vos, etſi nomine, re tamen non magis verè Chriſtiani Germani, Galli, vel Belgæ eſtis, quam Iudæi Chriſti temporibus veri erant filii Abrahæ. Sed vti illi tunc, ſic vos nunc, inſtante ſecundo Chriſti aduentu, ad complendam Patrum veſtrorum menſuram, velut progenies viperina, peregrina, & merè vereque Antichriſtiana in mundum prodiiſtis, vt perfidiâ atq; malitia veſtra Diẽ Iudicii abbreuiaretis. Vnde etiam, vt ab omnibus agnoſceremini, in fronte & manu dextera, vt ſuprà dictum eſt, tanquam calumniatores & perfidi notati; vt videntes & opera veſtra mala attendentes, ſibi ab impio veſtro conſortio quàm diligentiſſimè cauerent.

Ieſuitæ in omnium Regũ Principum & Rerump. Imperiis Peregrini.

EPILOGVS.

I nunc, Becane, & amplius ſcribe, Concilia, Pontifices, alioſque Autores Pontificios à Batauo citatos non id tradere, quod is antè oſtendit, nimirum Fidem Hæreticis ſeruandam non eſſe: cum tamē Molanus veſter, (cuius contradictoriis Sophiſmatis nugas & mendacia tua firmare voluiſti) idem quod Batauus, & quidem in ſubiecto Pacificationis Belgicæ in terminis, pluribuſque locis tradat. Nam vbi in libro, cui titulum, *de Fide Hæreticis ſeruanda*, ſpecioſè præſcripſit, (licèt nigrum contrarietur rubro) docuit, *liberam Religionem à nullo Principe admittendam eſſe*, ſubiicit capite ſequenti hæc verba: *Hic videor mihi audire quoſdam, qui dicant, ex hoc meo conſilio atque Iudicio nullam vnquam Pacem aut concordiæ rationem iniri poſſe cum iis, qui Religionis cauſa, contra ſuos Reges & Magiſtratus arma in manibus habent, quantumcunque illi præualeant, & maiora incrementa indies accipiant. Rem claram eſſe: cum iam doctum ſit, cum Hæreticis nec fœdera, nec amicitias ineundas, & liberam*

Iohannis Molani aperta de fide Hæreticis non ſeruāda opinio.

Fidem hæreticis non ſeruandam eſſe Regulariter verum eſſe, Pontificii tradūt.

beram Religionem à nullo Principe admittendam eſſe. Huic obiectioni reſpondens Molanus, ita ſcribit: Hæc qvidem veriſſima svnt, sed vt regvlæ generales, *quæ aliquando nonnullam exceptionem patiuntur.* Batauus etiam nunquam aliud dixit, quàm Regulam vobis eſſe Generalem, Fidem Hæreticis vel non dandam, vel datam non eſſe ſeruandam, ſi illis data ſit ſuper libero Religionis ſuæ exercitio: eamque Regulam, interueniente auctoritate Pontificis, quod tamen aut raro aut nunquam fit, illis tantum iudulgere *Toleramus aliquod*, donec exarmati commodius extirpari poſſint. Vt Molanus libr. 3. capit. 27. Obiectione 1, & 6. expreſſè docet, & in ſpecie de Fœderatis Belgis, quos dum Hiſpaniæ Regi vim intuliſſe tradit, *merentur*, inquit, *vt eis promiſſum non ſeruetur.* Et capite ſeptimo libr. 4. addit: *Nam quotquot contra Catholicam Maieſtatem Philippi arma in Belgio ſumunt, quia potius Rebelles quam hoſtes dicendi ſunt, vſitate prædones dicuntur: atque ſi illis aliquid promiſſum ſit, claram & indubitatam eſſe reſolutionem*, ait, *iis nihil deberi. Quoniam*, addit, *etſi iuſti & legitimi hoſtes eſſent, non tamen poteſt iuſtum bellum dici, in quo ob Hæreſis defenſionem arma capiuntur: ideoque conſenſus, qui per vim & coactionem*

NB. NB.

d. libr. cap. 10.

Huic conſentit pe nitus Ayala de iure Belli Lib. 1. cap. 6. nu. 8.

eiuſmodi extorquetur, etſi fiat cum intentione ſoluendi, iuris tamen ſcripti beneficio, vt alias meminimus, vim ſuam ac obligationem perdit. Et capite ſequenti bonus ille tuus Molanus, ſe quoque ipſum mendacii Doctorem oſtendens, docet, ſi huiuſmodi Rebellis & Hæreticus *promiſſum aut iuramentum per arma ſua extorqueat, Æquiuocè ei reſponderi poſſe, & aliud intendi quam intendat ille, cui iuratur. Qui enim ſemel fidem fregit*, inquit alibi Molanus (vti Fœderatas Prouincias Regi Hiſpaniæ fidem fregiſſe mentimini) *is indignus eſt, cum quo poſt modum pactum aut fœdus ineatur.* Quid itaque de Hæreticis? *quorum crimen* inquit *tam enorme eſt, vt non ſolum inſtar perduellionis, ſed multò ſeuerius puniri mereatur: quanto grauior eſt in re grauiori & maieſtatis & totius Reipub. offenſio. Superat enim horum impietas, etiamſi ab armis abſtineant, Turcarum impietatem.* Et paulò pòſt eodem capite Molanus loquens de Hæreticis, *Principe Chriſtiano digniſſimum verbum eſt*, inquit, *Fidem neq; dedi neque do infideli cuiquam. Exigit enim vera & vnica Religio, vt omnes Principes Chriſtiani Eccleſiam contra* HÆRETICOS *& eorum complices tueantur.* Attamen inquis, Becane, Inducias Rex Hiſpaniæ & Archiduces cum Fœderaratis Prouinciis iniuerunt? Fatetur id Batauus,

Æquiuocatio ars Decipiendi hæreticos. Lib. 1. cap. 19.

Lib. 1. cap. 28. Hæreticorum, impietas ſuperat Turcarum impietatem.

ius,& quidẽ ſecundum veſtrum aliorumq; & Molani Conſilium illos hiſce promiſiſſe res ipſa videtur loqui? non vt veſtra impietas & ſuperſtitio Euangelii præceptis corrigatur, ſed vt apud illos *poſitis armis* vt inquit ille, *per ardentes preces, ſana conſilia, aliaque media* propoſitum veſtrum ſanguinarium, ſine periculo cutis veſtræ, promoueri poſſit, *omnibus condolentes illis*, vt inquit Molanus tuus, *qui inter ſeditionem cooperationis tolerant conſortium, intentionis ſeruant diuortium, & reſtitutionis ſpirant obſequium.* Et ꝓtopter has cauſas fœdera talia, quæ populorum Euangelicorum ſocietatem & amicitias nominatim complectuntur, inire conceſſum videtur: quæ aliâs *propter periculum ſeductionis* nullo modo admittenda eſſe, Molanus tuus docet d. lib. 1. cap. 21. imò *ad internecionem potius delendos eſſe infideles vicinos, quam patiendum, vt per vicinorum commercia Hæreſeos contagio proſerperet.* Non itaque fidem Hæreticis ſeruandam eſſe docetis, *ſed quia non videtis, cuius cum Hæreticis controuerſia finis eſſe poſſit*; Vt inquit idem Molanus d. lib. 1. cap. 26. Perfidis veſtris conſiliis illos componere & comprimere, quàm perpetuò cum iiſdem digladiari, certius & ventribus veſtris vtilius eſſe, iam pridem apud vos creditum fuit. Claudam cum Illuſtri viro Dom. Eduardo Cohe, E-

Põtificii in fœderatis prouinciis non aliter pro Catholicis habentur, quam ſi cooperentur cum Pontifice, ſeiungãt ſe ab hæreticis, & aſpirent ad Hiſpani obſequium.

Pontificii ad Pacis conſilia nõ poſito in Euãgelicos odio, ſed virtutis illorum metu, adiguntur.

quite Aurato, Magnæ Britanniæ Regis At-
tornato Generali, qui de Ieſuitis eorumq;
diſcipulis agens; *Reuera*, inquit; *Gens iſt*
eſt perfida, ac proinde:

Iurat? crede, minus; non iurat? credere noli:
Iurat, non iurat hoſtis, ab hoſte caue.

ELEGIA

IN PARRICIDAS

Quâ Nobiliſſ. & Ampliſſ. Vir

IAC. AVGVSTVS THVANVS
Conſiliarius Regius, & Curiæ ſu-
premæ Pariſienſis Præſes, Poemata
ſua ſacra, omni immortalitate di-
gniſſima concludit.

RVrſus ab immiti Furiæ bacchantur Auern
Vipereaſque rotat torua Megæra com
Rurſus Trinacriis puer ablactatus in antris
Sacrilegâ ſtringit tela cruenta manu:
Notus & Eoo tantum Aſſaſinus in axe,
Prô pudor, in noſtro viſitur orbe frequens.

Sci

Scilicet has arteis nuper gens gnara nocendi,
Exitio innexit, Gallia, nata tuo,
Heſperiæ fuſcis gens emiſſaria ab oris,
Fucum affectatâ quæ gravitate tegit,
Nata magiſtratum conuellere, nata miniſtris
Subtrahere obſequium præſulibusque ſuum:
Geryonæ quæ dum placeat faueatque trifauci,
Terrarum reliquos non facit aſſis heros,
Et cœlo facinus dignum putat, omnia ſaui
In Regis longas tradere ſceptra manus.
Quæ diſciplinam morum, quæ Gallica venit,
Exuto, legum ſoluere iura, metu,
Et vileis regnantum animas, ipſoſque necandos
Horrendâ reges proditione docet,
Seruandamq; fidem negat, *argutisque cauillis*
Detorquet magni iuſſa ſeuera Dei.
Sunt tamen, & cur ſunt? qui nunc quoque crimi-
Obtendant cauſam Religionis agi. (ne in iſto
Accuſentque bonos vltrò, excuſentque nocenteis
Et patrocinio conſilioque iuuent.
Hoſne ſuperſtitio malè ſanos excitet aſtus,
Quique atrâ vexat pectora bile furor,
An pietas ſimulata, meâ nil quærere refert,
Damnandum in magnis cũ ſit vtrunq; viris;
Quos magicis aureis claudentis cantibus anguis
Eſſe inſtar cautos paginâ ſacra iubet,
Candoremque ſimul mitis ſeruare columbæ,
Fallereque & falli grande putare nefas.
Nos patimur ſegnes, lentique ſedemus ad iram,
Et pietas ipſâ religione perit.

Si modo relligio eſt, alere intra viſcera tetram,
Quæ iam ſe corpus fundit in omne, luem:
Si modo relligio eſt, patriis, ſine murmure, ſulci[s]
Accipere hoſtili ſemina iacta manu.
Semina corrupti ſucci, lentique veneni,
Noxia doctrinæ ſemina peſtiferæ.
Concipit inde malum quippe inconſulta iuuent[us],
Mox concepto alios inficit ipſa malo:
Iamque ferè totus ſacer ordo, & Gallica pubes,
Plebsque, auido virus combibit ore nocens.
Iam turgent venæ, cor palpitat, ilia tendunt,
Nullaque pars toto corpore ſana manet.
Atque vtinam nunquam tibi crus, dux LOYOL[A]
Iciſſet læuâ miſſa ſagitta manu. (*Sect[a]*
Gallia Cantabrico cum quondam & Iberia bell[o]
Pro patriis facerent prælia aperta focis.
Quam bello plus pace noces, & ad otia verſus
Crudeleis animum vertis ad inſidias.
Gallia & in media conſcripto milite regnas,
Diraque fraterno nomine bella geris.
Nempe tua à bello cunctorum fonte malorum
Secta ſata eſt: bellum hinc nunc & adulta ſeri[t].
Aſpice Carrafam, placidæ qui tempora vitæ
Impendit ſtudiis, ſecta profana, tuis:
Mox ſeptem impoſitas inſedit collibus arces,
Cornua terrificis intonuêre minis.
Tympanaq; Italiam confeſtim audita per omn[em],
Vrbis & ad portas Hannibal alter adeſt.
Noſque leues adeò, nos, credula pectora, Galli
Ad bellum infauſtâ ſollicitamur aue.

Protr[...]

Protinus induciæ violantur patre Quiritum
Auctore, & Martis nuncius vrbe venit.
Pignora iam belli rutilant, micat igneus enſis,
Liuida adhuc ſtridens à Phlegethontis aqua.
Hæc infelicis Gallis primordia belli,
Quod nos exitio noſtráque penè dedit.
Huc ergò huc animos, terræ qui ſceptra tenetis:
Nunc velo amoto cernere vera licet.
Cauſa heîc veſtra agitur, nam credite, veſtra po-
In vita HENRICI *vertitur ecce ſalus. (tentis*
Ille quidem petitur, ſed per latus illius omnes,
Credite, vos Reges, mens niſi læua, peti.
Nullus iam miſeris toto patet orbe receptus,
Præſentem oſtentant obuia cuncta necem.
Nil ſecurum vſquam eſt, ſtimulis furialibus actus
Percuſſor, quoquô vertitis ora, latet.
Nam quibus excubiis maieſtas regia poſt hac,
Aut quo ſtipatu viuere tuta queat:
Si pueri diſcunt his vitam odiſſe magiſtris,
Extrema & mortis temnere ſupplicia?
Si tormenta pati poſſunt, nilque indè fateri,
Hacque polum ſperant ſcandere poſſe viâ?
In vitam alterius nil non permittitur illi,
Cui propria eſt odio negligiturve ſalus?
Mentibus hinc teneris gliſcit præpoſterus ardor,
Et cæcos iuuenes in ſcelus omne rapit.
Heu ſapimus ſerò, ſapimus tamen, atque potenti
Eſſe Deo curæ Gallica ſceptra patet:
Qui nos ad monitos, tactâ tam leniter aure,
De propriâ memores eſſe ſalute iubet.

R

Vos Veneti vidit prudentia cana Senatus,
Vidit, & eſt noſtris reddita cauta malis:
Dum timidæ ſecreta his credere mentis ephebos
Vulpibus, atque animi pandere vota vetat:
Dumque ſub his operam ſtudiis nauare magiſtris,
Et ferulæ prohibet ſuppoſuiſſe manum.
Vos quoque, quos cæli rector diademate cinxit,
Hoc ſapere exemplo diſcite, noxa prope eſt:
Nec temere errones in regna admittite veſtra,
Hoſtis ſi quis erit, præbeat hoſpitium.
Sentiet is præſtò damnum, recteque monenti
Flebit, at heu ſerò, non habuiſſe fidem.
Mitior in fameis exercuit ira volucres,
Quas Phinei menſis incubuiſſe ferunt.
Nempe per hos factum, diuinæ vt vocis apud nos
Eſſet vbique fames, eſſet vbique ſitis.
Quis Deus alipedes Arctoo ex axe gemellos
Miſit, & ætheria monſtra fugauit ope?
Fercula nunc nullo fœtentia ſumere tactu,
Nunc licet è puro fonte leuare ſitim.
Reddita libertas nunc priſtina, reddita regno
Maieſtas: ſacris nunc quoque conſtat honos.
Dicere nunc verum licet, atque audire viciſſim,
Inque Dei templo nunc bona verba ſonant:
Nullàque mendaci ponet iam præmia linguæ,
Venaleisve animas ſtator Iberus emet.
Turba inimica vale, non exarſiſſe furore
Centauros tanto fabula priſca refert.
Marte Pelethoniis auſos confligere iniquo
Conuiuæ raptâ coniuge Pirithoi:

Quos

Quos prius Alcides caſum indignatus amici
Lerneæ fixos grandine ſtrauit humi.
Quid loquor? Alcidæ eſt inflicta iniuria noſtro,
Nec tamen Alcidæ eſt vltio facta manu:
Nempe quod hic Graio generoſior Hercule Gallus,
Turba Ixionio peior vt iſta grege eſt:
Quæ gremio ſponſam conata reuellere noſtro
Sacra inter menſæ bella cruenta mouet,
Monſtrorumq; dolo domitorem aggreſſa nefando
Nunc paſſim noſtro crimine monſtra facit.
Non mihi vaticino pectus quod turgeat œſtro
Glorior, aut intùs numen habere puto:
Sed ſi præſaga non me prudentia mentis
Decipit, hæc alios deinde pericla manent.
Túque adeò noſtris nimis heu conterminus oris,
Grande domi fratrum qui miſer agmen alis:
Si ſapis à magno tibi miſſa hæc Rege putato
Præſidia, haud arces vi ſubitura tuas:
Sed quæ compedibus mentes animoſque tuorum,
Et duris ſtringant nexibus ingenia.
Cum volet ille per hos te finibus exiget hoſteis,
Mutatóque procul coget abire ſolo.
Et niſi ſponte feras, nigrum damnabit ad orcum:
Namque etiam in Stygios ius habet ille lacus.
Tu quoq; Vindelicos, qui, Gallica nomina, Boios,
Qui trans Danubium Norica Regna tenes.
Quóque iuues Patres, veſtem queis Fibula nectit,
Effundis totas luxurioſus opes:
Sumptibus immodicis accepta vt damna dolebit,
In gentem ingratam qui periere, nepos:

Bello internecino cum dulcia pacis auitæ
Otia mutabit ſeditioſa cohors,
Et tua regna dabit placito rapienda tyranno,
Quippe ſibi id proprio iure licere putat.
Quin procul ad fuſcos gens dira remittitur Indos?
Illic mira canunt edere facta Patres.
Illic relligio per ſola ſilentia creſcit,
Nec res verbo agitur, iuſſit vt ille, DEI.
Conſita ſed granis in ſacra roſaria ramos
Fundit, & in ramis muta ſigilla gerit.
His, quibus inter nos perit artibus, incipit illic
Relligio, in cunis mox peritura ſuis:
Et noua cuncta placent, quoniam nouus orbis &
Ex priſca ſupereſt & pietate nihil. (ille eſt,
At procul Harpyiæ hinc, procul hinc Ixione na[ti]
Semiferi, grauidæ nubis inane genus.
Eſte noui procul hinc, hominum deliria, cultu[s]
Et quæ ſponte ſibi numina quiſque facit.
Gallia (nam decorat Gallos hac laude vetuſta[s])
Non alit in gremio talia monſtra ſuo.
Nos iuuat antiquo vitam producere ritu,
Nos iuuat in priſca ſimplicitate mori.

FINIS.

ERRATA

Folio 4, linea 30, lege *falsò*. fol. 133, linea 13, adde *ad*. fol. 218, lege *falſa*. fol. 227, linea 30, dele *veſtris*, &c.